UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

Visual Library

Th. 2172.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRO
PACE PERPETUA
PROTESTANTIBUS
DANDA
Consultatio Catholica:
AVCTORE IRENÆO EVBVLO
Theologo Austriaco.

Ex legato Celsmi Principis Joachim. Epi Paderb: et Monaster: A. 1683.

Lucæ XIX, 42.

O si cognosceres tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Collegij Soc: IESU Paderb:

FRIDEBURGI,
Apud Germanum Patientem.
1648.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO
JACOBI LAMPADII,
DUCUM BRUNOVICENSIUM ET LUNÆburgensium ad Comitia Osnabruggensia & Monasterienſia Legati.

ACcepi ante pauculos dies ab amico refutationem Judicii Theologici, quod ſuperiori anno Monaſterii edidit Euſebius Tenebrio. Simulatq; perlegere cœpi, mirificè arriſit Irenæi (eo ſe nomine indigitat) & eruditio & moderatio animi, & erga Rempublicam amor. Dignisſimus igitur viſus eſt labos, qui truci & ſævo Euſebii Tenebrionis Judicio opponeretur. Si Tenebrio noſter, ſi Vehicularius & Ponderator eruditione ac ſubinde in Scripturis deprædicata charitate cum Irenæo coincidèrent, nec adeò coegiſſent doctiſſimum virum aliosque truculentam illam imperitiam retundere; ab optimo quoque pluris æſtimarentur. Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, ego ſum corde mitis, ait Salvator noſter: & Apoſtolos fratres ob denegati hoſpitii ignominiam igne ſævituros cohibuit adjecto propitii Spiritus ſui elogio. Cum igitur Theologus noſter, cum Vehicularius & Ponderator nil niſi bella vehant, ſpirentque cædes,

des, excidia, flammas; merito sciscitemur, cujus afflatu immitia illa capita suam Theologiam, Vehiculum & Ponderationem didicerint.

Consultationis autor Irenæus mihi nondum innotuit. Quisquis sit, multijugæ eruditionis virum, multisq; egregiis dotibus præditum esse confiteor. Subiit quidem mirari, Irenæum, quem Musæ Gratiis comitatæ undequaque eximium fecerunt, eam religionem, quam divinitus illuminati Prophetæ ac Apostoli promulgarunt, quamque Evangelici in Germania, abjectis Romani Præsulis additamentis mutationibus & abusibus, unice profitentur, hæresin appellasse: nolui tamen committere, ut propter immerita nomina magni alias viri solidissima Consultatio minus extaret: nævus videlicet in formoso corpore non omnino tollit pulchritudinem. Quæ ego propterea adjicere volui, ne quis me autorem operis suspicetur, quod ego ignoti autoris opus Bibliopolæ typis excudendum subministrarim, meve alieni laboris fructus intercipere voluisse. Si Deus vitam & otium suppetierit, & ipse ostendere conabor, quanta sit quibusve illigata limitibus supremi Magistratus circa Religionem potestas. Dabam Osnabrugis 4. Apr. styl. vet. Anno 1648.

TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI
S. P.

QUum primum prodierunt Judicium Theologicum & ejus Vehiculum, Irenæus noſter non credidit digna illa eſſe confutatione, ſed contemptu: eo quod contra torrentem communis ſententiæ, quam hactenus tot Imperatores, Reges, Principes, Epiſcopi, Clerici, Theologi, Jurisconſulti, & optimi doctiſſimique Laici, ſunt ſecuti, niterentur. Obſervavit tamen poſtea præter exſpectationem, illis chartis turbari imperitiorum, zelo tamen catholicæ fidei ardentium, animos, idque magno publicæ tranquilitatis malo, quippe cui illis ſcriptis nihil magis poteſt adverſari. Confutationem itaque hanc Judicii Theologici, & haud paulo meliorem Conſultationem exaravit. Nomen diſſimulat; quod exemplo præiverint adverſarii: proditurus tamen illud, ubi aperta fronte alii pugnaverint, aut res idipſum expoſcere videbitur. Rationem cum ratione contendere enim magis ex re veritatis eſt, quam à perſona capere præjudicium.

cium. Quod si sane sepositò amore & odio, quæ hîc dicta sunt cum aliorum ratiunculis conferantur, non dubitamus, etiam illos, quos fluctuare fecerunt illi alii libelli, prono in pacem publicam animo fore, & qui hactenus negotium pacis summo studio curaverunt, à calumniis & convitiis adversariorum satis defensos esse.

PROOE-

PROOEMIUM.

DE pace perpetua Protestantibus danda consulturis, non amplius necessum est multis describere illius Pacis naturam & conditiones, postquam ipsi Protestantes animum suum aperte satis ore & calamo prodiderunt, & desiderata ipsis Pax jam tum à S. C. M. Illustriss. Legatis magnam partem sit promissa. Facile certe hæc peti potest, saltem ex projecto Pacis antedictorum Legatorum. Cæterum quæstio ardua est, num talis perpetua Pax Protestantibus, hoc est, hæreticis, à S.C.M. & reliquis Catholicis Imperii Rom. Ordinibus salva conscientia possit concedi. Videas enim in partes hic abire Catholicorum maximæ auctoritatis Statuum sententias: nec desunt gravissimi Theologi, qui editis scriptis illicitam ejusmodi pacem pronunciare non dubitaverunt. Nos citra cujusquam hominis præjudicium, servantes integram omnium autoritatem & dignitatem, consultabimus itidem in publico hac de re. Quod ut faciamus, impellimur communi totius Germaniæ, cumprimis autem Ecclesiæ Catholicæ, salute, quæ in hujus pacis cardine, nisi fallimur, unice versatur. Agemus autem breviter, & non oratorio sed scholastico

laſtico ſimplici modo, ne cui videamur fucum orationis illecebris facturi. Simplex ſcilicet veritas eſt, neque indiget mangonio. A nobis vero procul abeſt, ut quem fallamus in tanti momenti negotio, unde ſalus animæ corporis & fortunæ bonorum dependet. Primum ergo hypotheſes quasdam præmittemus: inde ſententiam noſtram argumentis muniemus: reſpondebimus denique ad objecta aliorum.

SECTIO

SECTIO I.

HYPOTHESES.

I.

VT alia vitia ita & hæresin possumus sine peccato tolerare, modò neque directe neque indirecte illam juvemus & promoveamus.

Ita sentiunt omnes Doctores Theologiæ moralis & Casuistæ. Admittit etiam hoc ut certum, imo urget maxime, ipsemet Ernestus de Eusebiis passim in *Judicio Theologico*. Nititur autem assertio regula illa juris: quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas. *c. quod non. 4. extr. de regul. jur.*

II.

Quando hæresis non potest tolli citra majus damnum Catholicæ Ecclesiæ, tum non tantum licet sed etiam debemus hæresin tolerare.

Etiam hæc sententia communis est. Ratio vero in promptu. Omnes enim tenemur pro virili ad majorem Dei gloriam & Catholicæ Ecclesiæ incrementum: ex duobus itaque malis minimum tenemur eligere, *c. duo mala dist. 13.* Eoque si id exigat necessitas, satius est tolerare hæresin quam in majus damnum Ecclesiam conjicere. Huc pertinet

illa prohibitio de zizaniis non eradicandis, si fieri id nequeat sine tritici læsione. *Matth.13.*

III.

Licet pacisci de illo tempore hæreseos tolerandæ, quo licet illam aliàs tolerare.

Itidem hoc omnibus constat: in qualibet enim re licita, in quantum est licita, locum habere pactum, sole est clarius. Vulgo etiam docent Doctores, ejusmodi tolerantia si sit pacta servandam esse fidem.

IV.

Tempus tolerandæ hæreseos in futurum recte definitur illud, intra quod, moraliter loquendo, observatis circumstantiis, prudens quisque dixerit, hæresin citra majus malum non posse exstirpari.

Hujus pronunciati veritas patet per partes. In omnibus enim humanis actionibus & negotiis illud censetur rectum, quod prudens aliquis ita definit. Itaq; etiamsi futura sint contingentia, tamen in rebus humanis id habetur certò futurum aut non futurum, quod moraliter ita existimatur à prudente quoque. Diserte idem pronunciat ipse Auctor Judicii Theologici *sect. 6. reg. 3.*

V.

Nemo tenetur bello hæreticos persequi ob hæresin, præsertim illos in quos nulla aliàs ipsi competit jurisdictio.

Haud

Haud dubie hoc asserunt omnes Doctores, qui simpliciter docent, bellum quidem licite nonnunquam geri, neminem tamen ad id teneri. Notandum præterea, à nemine thesin huic contrariam defendi, sed tantum hoc: quod *liceat* bellum gerere propter hæresin, idque in tribus casibus, I si subditi alicujus Principis deficiant à fide catholica & alios trahant secum in eandem hæresin & sic dissensionem faciant in regno. II si rex vel subditi unius regni deficiant à fide catholica, & conentur subditos vicini regni in eandem defectionem trahere. III si id jubeat Pontifex. Vide R. P. Becanum Theolog. Scholast. *p.2.tom. post.tr. pr.c.25. q.1.* Multum discriminis vero est inter id quod *licet* & illud ad quod *tenemur*. Sed & primus casus ut & tertius plane non habent locum in hoc nostro negotio. Primus enim casus est de bello Principis in subditos proprios: Tertius de illis hæreticis in quos Papa jus aliquod dat Principi alteri: nos autem versamur in illo casu quando Catholicus Princeps nihil in hæreticos habet jurisdictionis, sive propriæ scilicet sive concessæ.

Quicquid verò sit de eo quid liceat, tantum sermo noster est de eo *ad quid teneamur*. Probari vero hæc assertio nostra facile potest. Si enim tenemur, aut naturali aut divino aut humano jure tenemur. Non primo: quoniam illud jus nihil no-

vit de hæresi. Non divino: quoniam illo jure nulla est pœna hæreticis posita, ceu docet cum aliis multis Victoria *Relect. V de Indis*, ad quam se refert *Relect. de Jure belli q. 3. prop. 1.* Certe nusquam legitur in Sacris literis, bello hæreticos esse persequendos. Non humano denique. Etsi enim Sedes Apostolica interdum hoc mandaverit, tamen illorum mandatorū observantia semper irrefragabilis numquam usu est introducta, eoq; ne quidē similes Bullę Papales vim legis acceperunt sed tantùm suasionis. Tantum abest, ut lege receptum sit, quemquam teneri ad hæresin exstirpandam ubi locorum nulla sibi competit jurisdictio.

VI.

Bona plæraque Episcopatuum, Monasteriorum, & similia, per Germaniam, non gaudent absolute immunitate Ecclesiastica, sed potissima eorum sunt feuda Imperii eoque oneribus feudalibus tenentur, alia item oneribus publicis subjecta sunt saltim de facto & quidem à tempore immemoriali.

Nemo horum quidquam potest negare, nisi qui Germanicarum rerum est imperitissimus. Nec enim omnia quæ ab Ecclesia possidentur spiritualia sunt eòque libera. Videatur Panorm. *in c. sancit. n. 9. de censib.* Covarr. *pract. quæstion. 34. n. 20. vers. contr. opinio* Mascardus *de gener, stat. interpr. concl. 1. n. 16.* Menochius *cons. 291. num. 10.* & in specie de Ger-

Germaniæ bonis Gail. *l. 1. obſerv. 30. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*

VII.

Bona quæ non proprie ſunt ſacra, poſſidentur tamen ab Eccleſia, alienari poſſunt ob utilitatem Eccleſiæ, multo magis ob publicam neceſſitatem.

Vide *authent. hoc jus porrect. auth. ſi quaſ. & authent. perpetua, Codice de Epiſcopis & S.S. Eccleſiis*, & ad h. l. communiter Doctores. Conſentit vero praxis vulgaris. Non diſputabo hic, poſſitne illa alienatio fieri ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ nec ne. Quorum illud nonnulli aſſerunt, nonnulli negant. Videtur enim, quid de hac controverſia ſit ſentiendum, patere ex ipſa Extravagante Pauli II *ambitioſa*, quando alienationem ſine novo conſenſu prohibet, addita tamen exceptione: *præterquam in caſibus à jure permiſſis.* Diſerte verò dicit etiam Navarrus in Manuali c. 27 n. 15: *Hæc Extravagans non vetat alienationem in caſibus permiſſis a jure: & in nihilo fuit recepta juxta Sylveſtrum v. alienatio q. 13. Cajetan. voce excommunicatio c. 75. Et conſuetudo valet contra illam: & credimus nullibi eſſe receptam.* Vnde ſimul liquet, etſi in juramento Epiſcoporum dicatur: *poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque inpignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum con-*

sensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice, qvum hoc nitatur Bulla illa Pauli II, non obligare ad casus in jure exceptos, adeoq; etiã non ad casum extremæ necessitatis, utpote qui jure sit maximè exceptus. Et sic tenetur etiã à Sylvestro *l. c.*

IIX.

Eadem bona sunt subdita Principi civili; isque hactenus de rebus illis Ecclesiæ statuere potest, sicut de aliis bonis sibi subjectis.

Vide *c. quo jure distin. 8. Concord. item l. jubemus Cod. de Episcop. & S. S. Eccles. l. 2. C. de navib. non exc.* cum similibus. Ubi idem tradunt vulgo interpretes. Est certe hoc usu receptum in omnibus rebuspublicis, etiam maxime Catholicis. Confirmatur vero illo etiam Ambrosii ad Auxentium: *Agros Ecclesiæ si vult Imperator, tollat: potestatem enim habet vindicandorum.*

IX.

Bona etiam Deo dicata, si Ecclesiæ & reipublicæ necessitas exigat, licet in alios usus convertere, imo hostibus pro pace redimenda tradere.

Sententia est communis: utpote qvum juxta cap. *aurum,* propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmiteriorum, vendi possint vasa sacra & quævis mobilia pretiosa Ecclesiarum. Addit ipse Auctor Judicii Theolog. sect. 3. ad IV. *pari ac majori ratione propter necessitates Imperii, & præci-*

præcipue Religionis, confringi, conflari, & vendi posse ac deberi, iisdemque ex reditibus quoque Ecclesiarum & Ecclesiasticorum subveniendum esse.

X.

Qui permittit aliquid agi quod inhonestum est, non statim eo ipso intendit honestū reddere quod est inhonestum, sed tantum dat peccato impunitatem.

Passiva hæc est omnium sententia, eoque probatione nulla indiget. Tantum heic observandum, multis imponi circa hanc rem æquivocatione vocabulorum *jus* & *justum*. *Justum* scilicet etiam dicitur quod licet, utut natura sua vere sit injustum; similiter *jus* dicitur facultas agendi, etiam illa quæ tantum nititur impunitate, & pœnam publicam non veretur.

XI.

Hæretici Protestantes, neque sponte neque damnis affecti mediocribus, aliam pacem quam qualem proposuerunt, & Cæsarei Legati ipsis hactenus concesserunt, admittent.

Quod sponte & non coacti velint mutare postulata, nemo paulo sanior dixerit. Damna autem mediocria, imo maxima, illos contemnere, spe illius suæ pacis, reapse omnes (proh dolor!) docemur. Exhauriuntur enim illorum provinciæ & bona non multo minus atque nostra: vident etiam periculum imminere sibi à nimia potentia peregrinorum;

norum; attamen quod existiment majus malum fore si spe illius suæ pacis excidant, ferunt omnia non iniquo animo: utpote qui sibi certò persvaserint, quoad Catholici ipsos habuerint indignos sincera pace, numquam sibi esse cautum.

XII.

Moraliter loquendo, Catholici Status Imperii non possunt hoc tempore vi adigere Hæreticos, ut in aliam pacem consentiant.

Dico, *moraliter loquendo*, expensis rebus Catholicorum & Hæreticorum Statuum, prout nunc sunt. *Primo* enim Hæretici ipso actu possident magnam & robustissimam partem Germaniæ, imo illa etiam bona quæ sibi per pacem dari volunt. *Secundo* habent in promptu auxilia Svecorum, qui plurima munitissima loca per omnem Germaniam, imo in ipsis terris Catholicorum Statuum, usq; adeo validis præsidiis tenent, ut ipsi Catholici cogantur militem illorum suis impensis alere. *Tertio* reapse iidem juvantur à potentissimo Rege Galliæ, qui itidem magnam partem Germaniæ jam occupavit. Etsi enim credendum sit, malle regni illius ministros Catholicos, in quorum manu nunc est respubl. illa, florere potius in Germania Catholicos Status quam Hæreticos; tamen quod videant, illos Austriacam domum colere quæ Gallis invisa est & suspe-

ſuſpecta, hinc ex re ſua exiſtimant potius Hæreticis favere quam Catholicis. Accedit, quod rebus ſic ſtantibus fœdere certo cum Svecis Gallia ſit conjuncta, adeoque non poſſit, ſalvo fœdere Svecorum, deſideriis illis quæ cum Proteſtantibus aliis habent hi communia, reniti. Certe hactenus adjutos fuiſſe Proteſtantes per Gallos, & Gallos bona quædam Eccleſiaſtica, nonnullis Proteſtantibus qui in ipſorum ſunt clientela, cumprimis Landgraviæ Caſſellenſi, voluiſſe addicta, conſtat ex Actis publicis. Impoſterum illos aliter ſenſuros, nihil eſt cauſſæ qvur ſperemus. Verendum eſt *quarto*, ne Hæretici deſperantes de Pace à nobis impetranda novum fœdus ineant cum Fœderatis Belgico-Germaniæ provinciis, facta ipſis poteſtate vicinas Catholicorum terras occupandi, cum ſpe perpetuo illas retinendi. Quod facile factu eſſe poſt compoſitam pacem cum Hiſpano, nemo prudens negaverit.

Ex adverſo Catholici Status nullum aliunde auxilium poſſunt ſperare, præſertim durante hoc ferali bello Hiſpano-Gallico, & Catholico Rege iterum nova rebellione Neapolitanorum diſtento. Proprias autem vires tantas eſſe, ut magnas victorias liceat certo polliceri, rebus ſic ſtantibus, quis prudens, & eorum quæ hactenus aliquot annis experti ſumus, & quotidie experimur, non ignariſſi-

mus, dixerit? Miraculosam aliquam divinam benignitatem, ubi nulla facta est cœlitus promissio, nemo sapiens certo exspectat. Neque vero ejusmodi futuræ gratiæ comparet ullum indicium; utut merito debeamus æternas grates DEO, quod paulo meliores fecerit hoc anno res Catholicas.

Frustra utiq; allegantur à *Capit. Argentor.* recens fortuna Regis Angliæ, Provinciarum Belgicarum, & Hispanorum, Vinarienſis item motus & pax Hungarica. Quis enim nescit, Angliæ regem iniquiore nunc quam ante conditione, & Provinciarum Belgicarum pacem cum Hollandis, potius Hollandis commodam quam Provinciis Catholicis, Hispanos autem novo,& quidem periculosissimo motu Neapolitano implicatos esse? Porro Vinarienſium tumultus nullo bono Catholicorum est factus, sed potius eorum malo, utpote qvum horum melior pars transierit ad Svecos h. e. Hæreticos, reliquis apud Gallos manentibus. Creatus quoque est rex Hungariæ Ferdinandus IV, sed conditionibus quæ Hæreticis Hungariæ vehementer favent. Is porro fuit aliquot annos, & quidem ab anno usque tricesimo, infelix omnium conatuum nostrorum eventus,ut DEUM adversari nostris consiliis, longe (proh dolor!) verosimilius liceat colligere. Causa certe victoriæ ad Duitlingam anno 43 partæ,temere à nonnullis nostrorum, quos inter est

& Er

& Erneſtus *ſect.* v. *ad* vii, creditur eſſe intentio illa S. C. Majeſtatis & Electorum Catholicorum de non concedendis bonis in manus Hæreticorum. Cur enim per infelices caſus hi coacti ſunt poſtea mutare illam intentionem? Quare Ferdinandus II optimus, qui umquam fuerunt, Cæſarum & religioſiſſimus, cum foveret quam maxime illud propoſitum, tantas paſſus eſt calamitates? Æque ſane inepta eſt iſta conjectura, atque altera illa ejuſdem Judicii Theologici *ſect.* v. *ad* vi omnes clades quas paſſi ſumus poſt annum xli, Amneſtiæ eſſe adſcribendas & Paci Pragenſi. Quaſi vero non ab anno trigeſimo uſque paribus ſimus malis affecti; totam pene Germaniam cum Bohemia Svecis ac Saxonibus occupantibus. Veriſimilius nugabatur Alphonſus Vargas, ſive is Scioppius ſit, cap. 22. & 54, omnia ſiniſtra Ferdinando II eveniſſe, quod ille monaſtica quædam bona Patribus S. J. conceſſiſſet. Sed apage ineptias. Nihil addo, ne videar velle noſtris partibus metum incutere ſine cauſa.

XIII.

Moraliter certum eſt, Proteſtantium potentiam ſemper in Germania futuram adeo magnam, ut meliores pacis conditiones illis non poſſint extorqueri.

Iterum proteſtor me loqui de morali certitudine. Recte vero alicubi dicit Victoria: *in moralibus*

non oportet multum considerare quid possit fieri, sed quid in rerum statu & natura inveniatur & contingat, & potius experientia tot annorum quam argumentationibus standum est. Quod si ergo experientia omnis anteacti ævi, ex quo hæresis Lutherana cœpit, standum est, facile apparet veritas pronunciati. Creverunt enim semper vires hæreticorum, & tametsi valde essent afflictæ & diminutæ ante annos septendecim, tamen ex eo præter & supra omnem expectationem nostræ res magis magisque sunt collapsæ.

Potest tamen propositio etiam argumento hoc confirmari. Si potentia illa Protestantium debet aliquando concidere, necessum est ut id fiat aut miraculose aut ordinariis mediis. De priore nulla datur moralis certitudo: imo potius contrarium verendum est, utpote qvum haud dubie mundi finis magis appropinquet; illo autem tempore vix fides supererit, juxta prædictionem Salvatoris.

Jam vero ordinaria media fuerint vel extra S. R. Imperium collocata, vel intra. Non extra, quoniam moraliter loquendo fuerint illa exspectanda vel à Rege Galliæ vel à Rege Hispaniæ. Ab illo non est quod exspectemus tantum auxilii, durante domus Austriacæ potentia aliqua formidabili, propter causas supra adductas. Si illa autem interierit, sine dubio in ipsa Germania vires Catholicorum multum patien-

patientur detrimenti : ideoque illo auxilio externo nihil vel parum poterit promoveri. Regis Hiſpaniæ potentia ita hodie eſt fracta, ut nec ille videatur unquam vires recuperaturus, quibus noſtris rebus multum poſſit opitulari. Si autem emerſerit nonnihil ex hiſce calamitatibus, ac velit Proteſtantes opprimere, proculdubio ſuccurret hiſce omni ope Gallus, quemadmodum fecit hactenus ; quippe qvum eædem cauſæ, quæ nunc illum movent, eum ſint etiam tunc impulſuræ. Neque vero eſt quod ſperemus, aliquando malam illam æmulationem Regum deſituram. Ab exteris itaque non eſt quod nobis benigni multum polliceamur. Quis crediderit autem? Catholicos Status ipſosmet ita aliquando futuros potentes, ut omnes Hæreticos poſſint exterminare, etiamſi illi nullo auxilio niterentur ? Et tamen nunquam ipſis deerunt vel Sveci vel Batavi vel Galli ipſi, vel alii aliqui. Ut proinde ſpes illa deHæreticis aliquando exterminandis,moraliter loquendo, revera ſit ridicula & vana.

XIV.

Licet exigente neceſſitate cum hæreticis perpetuam pacem inire.

Manifeſta eſt hæc propoſitio ex hypotheſi III & IV ſupra allatis. Confirmatur quoque autoritate religioſiſſimorum Imperatorum, Regum, & Principum. Etenim à temporibus Sigiſmundi Imperatoris

toris omnes Bohemiæ Reges pacem perpetuam Huſſitis conceſſerunt. Similiter pacem perpetuam dedit Ferdinandus I Cæſar Proteſtantibus, cum in tranſactione Paſſavienſi, tum præcipue in Comitiis Auguſtanis anno 1555. Invitum eo adactum eſſe optimum Cæſarem, quis negaverit? Non eſt ſane abſimile vero, non ſine lacrymis illum ſubſcripſiſſe, utut certa aliqua hiſtorica fide id non conſtet. Nam Cardinalem Hoſium de Ferdinando Cæſare id ſcripſiſſe ad Paulum IV, ex epiſtola Poſſevini ad Stephanum Poloniæ Regem non perinde certum eſt. Id certiſſimum, laudatiſſimum illum Cæſarem ſua ſubſcriptione omnia confirmaſſe. Pœnituiſſe illum facti, nemo eſt qui memoret; imo notum, jam finito Concilio Tridentino, quid cum Georgio Caſſandro & Wicelio ſit agitatum. Sequentes Cæſares omnes eadem pacta hactenus confirmaſſe, itidem longe eſt certiſſimum & in vulgus notiſſimum. Tolerantiam imo tutelam hæreſeos in Poloniæ Regum ſacramentum, quo ſeſe reipublicæ obſtringunt, receptam eſſe, itidem eſt notum. Obtinet idem in Hungariæ regno. Ipſe Rex Catholicus Hiſpaniæ pacem perpetuam Hollandis eorumque ſociis dedit, libera ipſis facta poteſtate ſuæ religionis & bonorum Eccleſiaſticorum in ſuos uſus commutandorum. Gallicorum Regum alium eſſe animum, nullo licet colligere indicio. Conſtat porrò,

porrò, omnes Principes Germaniæ Ecclesiasticos ac Laicos, excepto uno Cardinale Truchsesio, consensisse in leges pacis cum Protestantibus initæ anno 1555 : neque ex eo tempore quenquam publice contradixisse; quod indicium est consensus omniū.

Confirmatur II auctoritate Episcoporum plurimorum non tantum Germanicorum, verum etiam aliorum.

Confirmatur III auctoritate Jurisconsultorum & Theologorum Catholicorum itidem plurimorum. Non enim dixeris, Imperatores, Reges, Episcopos & Principes pacem perpetuam iniisse cum Hæreticis aut eandem servasse hactenus, sine consilio Theologorum & Jurisconsultorum suorum, adeoque optimorum. Saltem hos igitur habemus consentientes: adeoque non Germanos tantum, sed & Hispanos & Gallos & Polonos & Bohemos & Hungaros, atque ita florem totius Europæ. In tanto præterea numero Theologorum & Jurisconsultorum, ab initio usque Pacis Augustanæ, paucissimi diserte iniquitatis accusarunt ejusmodi pacem, cum tamen neque animus defuerit veritatem profitendi, neque judicium illam dignoscendi. Omnes certe illos vel insciticæ accusare vel impietatis, non nisi impudentia est. R. P. Canisium, religiosissimum sane virum, cum aliis è S. Jesu Pacis Augustanæ confirmationem probasse, & Legato Apostolico

lico ne resisteret obstitisse, cum in ipsius vita à bonis autoribus referatur, mirum qua fronte id in dubium vocet Auctor Judicii Theologici *sect.* v. *ad* ix. §. 2. *Nuncium.* Auctores Compositionis Pacis Dillingenses *c.5.q.29.n.52.* diserte docuerunt, etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse. Illorum unum atque alterum post sententiam mutasse, vel librum illum hoc nomine Romæ gravem censuram subiisse, quod scribit, Ernestus *sect.* v. *ad* x. credat qui volet; mihi non fit verisimile. Tannerum in medio reliquisse hanc disputationem, notum est ex *tom.3. disp.1.q.9.dub.3.as.2.* Saltem itaque & ille vidit ab utraque parte argumenta probabilia, & quidem ejusmodi ut absq; impietatis crimine affirmativam possis sequi.

Licet postremo etiam S.Apostolicæ Sedis Pontificum adsensu hanc doctrinam obsignare. Assensus autem ille inde patet. 1. quod nullus Papa hactenus contrarium definierit. 2. quod nemo illorum ejusmodi pacta cū hæreticis tamquam impia damnaverit.Non damnasse vero hinc liquet,partim quoniam talis Bulla Papalis produci non potest, partim quoniam Imperatores, Reges, Principes, ejusmodi pacta ineuntes ac servantes cum hæreticis, tanquam irreligiosos & impios Ecclesiæ filios nunquam propter illa pacta amare desierint,multo minus

minus illis injunxerint rescindere illa pacta tanquam impia. Quæ tamen omnia fieri oportuit, si quidem omnia ejusmodi pacta S. Sedis Apostolicæ judicio essent illicita & damnata. Protestationem semel iterumque esse factam coram Notario & testibus de quibusdam pactis, non diffitebor. Sed quis nescit, non id esse detestationem & damnationem pactorum? Factæ sunt illæ protestationes plærumque aliis de causis. Qua de re infra, in responsione ad objectionem VIII, iterum dicendum est.

SECTIO II.

HIsce hypothesibus præmissis haud difficile fortassis fuerit definire, num bona conscientia liceat hodie Catholicis Statibus pacem inire cum Protestantibus, qualem illi desiderant. Est autem difficultas hujus negotii collocata partim in iis quæ personam attinent, & Hæreticorum & qui illorum imperio subjiciuntur Catholicorum, partim in bonis Ecclesiasticis. Distincte itaque de singulis agemus, in universum tamen sententiam affirmativam defensuri. Esto igitur

I CONCLVSIO.

Licet concedere Protestantibus perpetuam pacem, cum quoad personas suas, tum quoad bonorum propriorum plenam possessionem.

Patet hoc, quoniam nulla lege obligamur, ad vim

Hæreticorum vel perſonis vel bonis inferendam, qvamdiu quidem moraliter certi ſumus de majore damno Eccleſiæ & Reipublicæ hinc emerſuro. Ceu poſitum jam eſt hypotheſi I, & IV, & XIV. Atqvi moraliter certi ſumus, Proteſtantes non tantum vi poſſe à nobis nunqvam cogi, ſed etiam ne qvidem ſine ingenti damno Eccleſiæ & Reipublicæ oppugnari unqvam ita poſſe, qvo tentemus, num vi eos poſſimus opprimere: ut patet ex dictis pro hypotheſi XI XII & XIII. Ergo.

II CONCLVSIO.

Tenentur Catholici Status Proteſtantibus quoad perſonas & bona perpetuam pacem concedere.

Probatur hoc; qvia id exigit neceſſitas Eccleſiæ & Reipubl. & præſens & futura. Qvando autem illud exigitur, tum hæreſin tolerari hactenus debere, habetur in hypotheſi II. Exigit autem præſens neceſſitas; quia alioquin bellum hoc manebit; utpote qvum Hæretici non deſinent bellum gerere niſi perpetua pace impetrata, ut dictum hypotheſi XI & XII: noſtræ contra res bello amplius ferendo non ſunt pares. Infinitæ animæ Catholicorum per miſeriam hujus temporis tantum non ad deſperationem adiguntur. Omne genus vitiorum cum hoc bello irrepit in animos hominum. Loca ſacra prophanantur, imo deſtruuntur. Clerus omnis in ſumma paupertate gemit. S. R. Imperium totum dila-

dilabitur & enervatur, usque adeo, ut vix species veteris reipublicæ superſit, omnibus pene in potestatem redactis peregrinorum & hostium. Cum non liceat igitur hæc tanta mala avertere aliter quam concessione pacis perpetuæ, consequens est teneri Status Catholicos ad pacis illius concessionem.

III CONCLVSIO.

Licet permittere Protestantibus, ut Catholicos subditos suos impune in exilium mittant, si citra bellum ab ipsis aliud obtineri nequeat.

Vbi notandum est *primo*, exilium esse maximum malum, quod ab Hæreticis dominis suis necessario est exspectandum vi illius pacis, quam hi desiderant: vis enim & injuria omnis alia pacis illius legibus diserte excluditur ac prohibetur. Notandum *Secundo*, prout nunc sunt res, pauciſſimos reperiri Catholicos, qui sint subditi Principum Hæreticorum, utpote cum omnem illorum terram soli pene occupaverint hæretici subditi, si qui post Cæsareum Edictum advenerunt, illi jam viciſſim discessere. Notandum *Tertio*, moraliter certum videri, quod imposterum nullus Princeps cui magna multitudo Catholicorum subditorum hodie paret, ad hæreticas partes sit abiturus. Fuerit enim ille vel Clericus vel Laicus. Non Clericus: quoniam ille legibus pacis cogitur deserere regionem cui

præest: adeoque ab illo nihil periculi imminet Catholicis subditis. Non de Laico etiam hoc temere præsumendum est, cum à prima juventute amor Ecclesiæ Catholicæ omnibus sanctissime laudabili more inculcetur, & præcipuæ familiæ Laicorum Principum Catholicorum, Serenissima inquam domus Austriaca & Bavarica, ita ardeant Catholicæ fidei amore, ut de illis seqvius qvid nefas sit exspectare. Notandum *Quarto* id quod additum est Conclusioni: *si citra bellum ab ipsis aliud nequeat obtineri.* Spes scilicet adhuc supereſt, aliter conventum iri, & paucos illos subditos non iri expulsum à Principibus Protestantibus, utpote qui hactenus illos multis in locis toleraverint, & eorum ministerio, haud secus atque suæ religionis hominum, ad multa sint usi.

Esto tamen id impetrari non posse: liquet nihilominus, quæstionem non esse de magna Catholicorum multitudine, sed de exiguo numero. Illum autem licere periculo exilii permittere, cum nisi id permittatur multo major numerus æqve gravibus imo gravioribus malis exponatur cum Ecclesiæ & Reipubl. certissimo dispendio, manifestum est ex communi axiomate de vitiorum tolerantia licita in casu necessitatis.

IV CONCLVSIO.

Si aliter transigi nequeat, obtinendæ pacis ergo debet

debet permitti Proteſtantibus poteſtas Catholicos ſubditos ſuos in exilium mittendi.

Ratio eſt: quoniam etſi non permittas, caveri tamen non poteſt per vim, & ex adverſo longe pluribus malis multo major numerus Catholicorum neceſſariò involvitur. Neque enim eæ ſunt vires noſtræ, ut Epiſcopatus Saxonicos aut alia loca omnia, ubi adhuc nonnulli ſuperant Catholici, poſſimus eripere Proteſtantibus. Exilio autem longe graviora eſſe mala, qvæ hoc durante bello patiuntur miſeri Catholici, nemo rerum peritior negaverit; utpote quibus ne vita quidem in tuto eſt, & qvorum in animis ſocietate malorum magna ſeges improbitatis ſuccreſcit, ne quid dicam de jactura omnium bonorum adeoqve intoleranda paupertate.

Si numerus itaque exiguus maximo, ſi malum minus majori debet cedere, neceſſum eſt magnæ multitudinis Catholicorum potius habendam eſſe rationem quàm paucorum, quorum fortunam ſervare non poſſis. Vide hypoth. II.

Accedit, quod Acatholici conſentiant, ut omnia maneant quemadmodum fuerunt anno viceſimo quarto. Saltim itaque Catholicorum rebus ac perſonis omnibus qvi tunc temporis in terris iſtis degerunt, exilium nullum vi hujus Pacis fuerit metuendum.

V CONCLVSIO.

Bona Ecclesiastica mobilia & immobilia, quæ illi desiderant hactenus, licet in perpetuum Protestantibus addicere.

Nititur hæc concluſio *primo* hypotheſibus VII & IX; in qvibus ſimpliciter de ejuſmodi bonis definitum eſt, qvod liceat illa in prorſus alienos uſus convertere exigente neceſſitate: *ſecundo* hypotheſi IV, XI, XII, XIII, XIV; ubi oſtenſum eſt, licere perpetuo illis aliqvid mali indulgere ſi cogat neceſſitas, neceſſitatem vero omnino nunc eſſe.

VI CONCLVSIO.

Bona Ecclesiastica mobilia atque immobilia, quorum per Legatos Cæsareos hactenus Protestantibus spes est facta, debent pacis ergo Protestantibus dari.

Ratio omnium breviter loqvendo eſt: qvod extrema mala aliter evitari neqveant, minus autem incommodum debeat qviſqve Chriſtianus imo vir bonus tolerare, ut maximo liberetur. Vbi notandum: Bona illa de qvibus agitur jam tum in manibus eſſe Proteſtantium, imo dudum fuiſſe, uſque adeo, ut eorum nonnulla centum prope annos, quædam longe ultra centum quaſi perierint. Id quod facit, ut eo magis teneamur illa pridem perdita concedere pro ſalute ſuperſtitis Eccleſiæ & Reipublicæ.

VII CON-

VII CONCLVSIO.

Licet Imperatori & S. Imperii Romani Ordinibus feudalia aut alia quævis bona omnia, quæ Episcopatibus olim & Monasteriis sunt data, concedere in alios usus, quæcunque illorum concedi postulat necessitas.

Conclusio hæc per se patet, observatis hypothesibus VI, IIX, & IX. De bonis enim Imperii quidni, pro flagitante necessitate aut usu exigente, aliter atque aliter liceat statuere toti reipublicæ? Atqui penes Cæsarem & Status Imperii est respublica, eoque summum dominium bonorum Imperii. Feuda autem ut & alia bona, etsi ab Ecclesiasticis possideantur, non eo ipso tamen exuere naturam, sed teneri feudorum & communibus reipublicæ legibus, est passiva sententia & apud omnes in confesso.

IIX CONCLVSIO.

Imperator & Status Imperii Romani tenentur hodie Protestantibus dare Ecclesiastica quædam feuda Imperii, qvum illis negatis non liceat pacem impetrare.

Non opus est hanc Conclusionem speciatim probare, qvum virtute contineatur in Conclusione VI, & constet ex supradictis summa Ecclesiæ & Reipublicæ necessitas.

IX CON-

IX CONCLVSIO.

Clerici omnes tenentur hodie in conſcientiâ bona nonnulla ſua Eccleſiaſtica, utut pinguia, pro pace redimenda, & conſervandis Eccleſiæ Catholicæ & Reipublicæ reliquiis impendere.

Ratio eſt; qvoniam quiſque etiam vitam ſuam Eccleſiæ & Reipublicæ neceſſitatibus debet, multo magis ſuas fortunas. Jam vero & Fundatorum omnium principalis intentio ſine dubio fuit conſervatio Eccleſiæ & pauperum ſuſtentatio. Neutrum autem hodie obtineri poteſt, niſi hoſti conceſſerint Clerici bona quædam: qvando autem concedunt, tum demum obtinetur utrumque. Nec vero eſt quod dicas, Fundatores voluiſſe per illa bona ibi conſervari Eccleſiam, ubi illam hæretici perdunt, ideoq; contra mentem Fundatorum eſſe illam traditionem in manus hæreticorum. Fateor enim, non ſperaſſe Fundatores talem rerum ſtatum, ac proinde omnino illos proximè intendiſſe id quod modo dictum eſt; attamen proculdubio etiam tanquam certum Fundatores poſuerunt, illis bonis ſi non ibi, ſaltem alibi Eccleſiam conſervandam eſſe. Itaque qvum intentioni Fundatorum omnino ſit ſatisfaciendum à Clericis pro virili, hæc vero illorum fuerit intentio, tenentur utiq; hodie ad illam quam diximus conceſſionem. Porro tenentur Clerici omnia bona, qvoad fieri poteſt, in uſus ſacros impendere.

pendere. Atqui bona illa, de qvibus nunc sermo est, non possunt in alios usus sacros amplius converti, quam in conservationem superstitis alibi Catholicæ Ecclesiæ. Ergo in illos usus eos concedere tenentur. Antecedens patet. Minor probatur; quia illa bona sunt in manibus hæreticorum, neq; spes est illa recuperandi: non possunt itaque eorum proventus in pristinum cedere Ecclesiæ usum. Sola jura, qvæ Clero supersunt, aliquem possunt usum præstare, nec tamen alium, quam conservationem superstitis alibi Ecclesiæ.

X CONCLUSIO.

Tenentur Clerici sequi in concessione bonorum illorum judicium & voluntatem S. C. Majestatis & Statuum Imperii.

Ratio est, quoniam Clerici non sunt pleni domini Ecclesiasticorum bonorum, Imò potius tantum administri, & usufructuarii, beneficia quoq; Ecclesiastica habent speciem fideicommissi, prout recte fatetur & urget Auctor *Vehiculi pag. 9.* Tenentur itaq; obsequi voluntati & dispositioni summorum dominorum. Est autem summum dominium penes Rempul. & Ecclesiam Germanicam. Qvod probatur *Primo*: qvia utiqve ante fundationem beneficiorum summum dominium citra controversiam fuit penes Rempublicam: Fundatores autem neque potuerunt neqve voluerunt fundando beneficia e-

ripere Reipublicæ jus ſuum: ac proinde etiam poſt fundationem ſemper Reipublicæ manſerunt ſua jura, adeoque manſit ſummum dominium. *Secundo:* Quia dominium uſufructuarium etiam illorum bonorum datum eſt â Fundatoribus in ſalutem Eccleſiæ Germanicæ; qvod liqvet ex omnibus tabulis fundationum; adeoque jure ſubjacet ſummæ diſpoſitioni Reipubl. & Eccleſiæ Germanicæ, non autem particularium Clericorum, ſed hi omnes ſubjacent Imperio Germanico etiam quoad diſpoſitionem fructuum. Jam verò adminiſtratio ac jus reipubl. & Eccleſiæ Germanicæ eſt penes ſolum Cæſarem & S. R. I. Status Eccleſiaſticos atque Seculares. Ergo horum circa bona iſta diſpoſitionem tenentur, velut alii, ita etiam Clerici ſeqvi: & ſi non ſequuntur, peccant graviter, ut qvi Cæſari nolint tribuere qvod Cæſaris eſt.

Ubi cumprimis obſervandum; in negotio hoc Pacis agi de bonis quæ magnam partem non poſſidentur amplius à Clero, adeoque in potiſſima illa bona nullum actu competere jus uſufructuarium Clero, in alia perrarum. Inde verò ſeqvitur, per translationem hanc uſusfructus reapſe non eripi qvicqvam Clero, eoqve etiam hinc ſine Cleri injuriâ bonorum iſtorum plenam diſpoſitionem unice eſſe in poteſtate Cæſaris & Statuum.

XI

XI CONCLUSIO.

Cæsar & Status Imperii Romani non tenentur quorundam ex Clero, circa bona illa tradenda, dissensum attendere: tenentur potius illo non attento bona illa, prout postulantur, concedere.

Prius membrum patet ex dictis in præcedenti Conclusione & Hypothesi IIX. Et constat aliàs, summæ in Republica omni potestati competere jus agendi de iis, qvæ ad Rempublicam pertinent, non attenta qvorundam subditorum dissensione. Posterius nititur item illa communi sententia, qvod summus Principatus teneatur id agere qvod exigit salus publica. Interesse vero salutis Germaniæ, ut bonorum isthæc fiat concessio, jam aliqvoties probatum est.

XII CONCLUSIO.

Si nonnulli Statuum nolint in pacem consentire; licet reliquis tamen illam constituere.

Ratio est: qvoniam *primo* nemo tenetur, propter aliorum stultitiam, suam Rempublicam & Ecclesiam perdere, vel in summum discrimen vocare. Fieret autem hoc, si propter nonnullorum pertinaciam nolis pacem etiam tu inire. *Secundo*: in necessitate omnia fiunt communia jure naturæ, teste S. Thoma *2. 2. q. 66. a. 7*, adeo ut casu extremæ necessitatis possit & debeat aliqvis etiam auferre aliena, ut patri e.gr. subveniat, teste eodem *q. 62. a. 5. ad. 4.*

Inqvam ſententiam omnes eunt Theologi & Juris-conſulti. Eſt autem hodie ſumma neceſſitas, ut ſubveniatur Eccleſiæ & Reipublicæ, eoqve etiam invitis aliis licet concedere bona Imperii, ſalutis & publicæ & privatæ ergo.

XIII CONCLUSIO.

Papa tenetur approbare iſtam, de qua agimus, bonorum Eccleſiaſticorum traditionem, & ſi non approbet, peccat.

Probo: quia Papa tenetur probare, qvod in ſeſe rectum, juſtum, pium, & Eccleſiæ eſt neceſſarium, & niſi id faciat peccat; uti conſtat apud omnes. Jam vero traditio illa talis eſt, ceu liqvet ex ſæpius allatis. Ergo.

XIV CONCLUSIO.

Præſumendum eſt, quod Papa approbabit illam alienationem, ſi recte fuerit informatus de ſtatu Eccleſiæ Germanicæ.

Ratio eſt: qvoniam de nemine pio & prudente rerumqve Germanicarum non imperito præſumi poteſt contrarium: multo minus ergo fas eſt, id præſumi de Sanctiſſimo Domino noſtro & Univerſalis Eccleſiæ fideliſſimo Paſtore. Neque verò eſt, qvod opponas, Urbanum IIX piiſſimæ memoriæ noluiſſe in id conſentire. Factum enim id, ſi factum eſt, ex mala informatione, nonnullis (qvibus Deus ignoſcat) ſtatum Germaniæ minus ex vero ſuæ Sanctitati referentibus.. XV

XV CONCLUSIO.

Papæ ab hac traditione (quod non credendum) dissentienti, non tenentur S. C. Majestas & Status Imperii Romani obedire, sed omnino pergere in proposito tenentur.

Probatur. Quia nemo tenetur iniquis Papæ legibus aut etiam contra leges dispensationibus obedire, sed iis adversari tenetur qvilibet. Juxta disputata cum ab aliis multis, tum à Victoria *Relect. de potest. Papæ & Concilii propos. 16. & sequentib.* Qvod nititur communi sententia omnium, & illo dicto: *Deo magis obediendum, quam homini.* Obligatur autem, non minus ac Papa, jure divino S. Cæsarea Majestas id agere semper, qvod qvam maxime expedit Ecclesiæ & Reipublicæ; expedire vero, imo necessariam esse Ecclesiæ, illam bonorum traditionem, jam sæpissime est ostensum. Neque enim est quod dicas, obediendum esse summo Pontifici & Christi Vicario. Id enim non est absolute & citra omnem exceptionem verum, sed tantum in determinationibus universalibus fidei & morum: in aliis particularibus posse falli Papam, eoqve non semper ipsius sententiæ standum esse, passiva est totius Catholicæ Ecclesiæ doctrina. Dissensio vero si qvæ fuerit (qvod non est sperandum) Papæ à voluntate Cæsaris & Statuum Imperii, non utique illa erit de fidei & morum aliqva doctrina, sed de casu

particulari circa qvæstionem non juris sed facti. Utpote qvum Papa omnino consentiat in eo, qvod liceat, imo deceat, alienare bona Ecclesiastica in casu necessitatis, exigente cum primis id salute & conservatione religionis atqve Ecclesiæ: tantum vero in eo forte futura sit dissensio, qvasi hodie non sit illa Germaniæ necessitas. Qvid, qvod ex iis qvæ allata sunt hypothesi VII fortassis liqveat, Papæ consensu non esse opus ad alienanda bona in casu necessitatis? Certe id si verum (est autem verissimum) manifestum est, eo minus dissensionem Papalem, si qvæ (qvod DEUS avertat) futura sit, curandam esse. Qvicqvid vero hujus fuerit; si contra sententiam Papæ aliqvid hac in re egerint Cæsar & S. R. I. Status, habent pro sese exemplum majorum suorum, religiosissimorum Principum, qvi in similem traditionem bonorum Augustæ in Comitiis anno 1555 consenserunt, eamqve hactenus ut licitam & piam defenderunt, etsi de illo facto protestatus fortè sit Paulus IV & Pius V, si vera sunt qvæ nonnulli narrant: habent pro sese exemplum Caroli V, qvi non attenta severa bulla Pauli III, in similes pene leges cum Protestantibus transegit in Comitiis Spirensibus anno 1544.

XVI CONCLUSIO.

Pacem, qualem exigunt Protestantes, dare & licet & oportet.

Liqvet

Liqvet hoc ex iis, qvæ per partes hactenus disputavimus : in iis enim vertitur omnis cardo totius Pacis. Itaqve non est necessum, ut novis rationibus hanc conclusionem muniamus. Sufficit pro Pacis illius justitia hic adferre, approbationem similis Pacis factam à religiosissimis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Theologis item & Jurisconsultis doctissimis plurimis. Certum enim est, similem pacem cum Hussitis Bohemis olim iniisse Bohemiæ Reges & proceres Catholicos. Constat item, Regem Catholicum Hispaniæ talem omnino pacem nunc concedere, imo plura largiri hæreticis Batavis. Qvis enim nescit? pace isthac, I in perpetua possessione Batavorum manere plurima bona Episcopalia & cœnobiorum, templa item publica à Catholicis qvondam exstructa: II ipsos hæreticos suo arbitrio relinqvi: III Catholicos plurimos illorum imperio subjici, iisque dure satis & misere vivendum esse imposterum, omni eluctandi qvondam spe præcisa? Omnibus porro notum est, in similes leges pacem cum Protestantibus initam à Ferdinando I Cæsare & Statibus Ecclesiasticis pariter ac Laicis Catholicis anno 1555, ut & ab eorum successoribus sancte hactenus probatam esse : in qvibus nemo vel pietatem vel prudentiam merito desideraverit. Nemo porro dixerit, tantos Reges & Princeps in hujus momenti negotio non usos consilio

silio doctissimorum Theologorum & Jurisconsultorum. Saltem itaque illorum omnium auctoritas pro nobis est. Accedit, qvod ab initio Pacis initæ cum Protestantibus, vix unus atqve alter Jurisconsultus & Theologus illam impiam aut illicitam pronunciaverit. Reliqui sanè vel aperte, vel certè tacitè, probarunt; nam & qvi tacet consentire videtur. Sed de illo consensu jam tum supra ad hypothesin XIV. dictum est.

XVII CONCLUSIO.

Pacem perpetuam Protestantibus dare primo tempore oportet.

Postulat hoc extrema miseria miserorum Catholicorum: postulat salus Ecclesiæ & Reipublicæ, qvarum utraqve tractu belli longiore magis magisqve in discrimen conjicitur: postulat deniqve id innocens sangvis qvi durante bello funditur, & animarum æterna beatitudo, qvæ itidem in discrimen conjicitur, qvia impietas una cum bello vires accipit.

ANTEQUAM desinam, unum illud perpendendum relinqvo; annon Principes Germaniæ singuli propemodum singulas habeant respublicas, & totum S. R. Imp. non sit vere una respublica, utut multa adhuc habeat communia omnibus. Relinqvo, inqvam, hoc perpendendum aliis: neq; enim Theologici est fori. Qvodsi verò ita sese res habeat, mani-

manifestum fuerit ex iis qvæ habentur hypothesi V, omnino non obligari Catholicos Status ad vim Protestantibus inferendam, etiam illo nomine; qvod nimirum illi sint cives diversæ reipublicæ à Catholicis. Sed in hanc messem nolo falcem meam mittere: tum vero existimo ego qvidem, non competere illam libertatem singulis Principibus qvam illis multi adscribunt, multo minus illam ex re ipsorum esse.

SECTIO III.

POsteaqvam sententiam nostram multis exposuimus & demonstravimus, nihil supereſt, qvam ut objectionibus aliorum respondeamus. Comprehendit autem illas omnes Auctor *Judicii Theologici Sect. 4.* Nam qvas voluit videri addidisse Auctor *Vehiculi* illæ nihil novi habent, sed tantum aliqvid explicatius diductum. Itaqve in confutando observabimus ordinem ab Auctore *Judicii* observatum. Cujus verba ut repetamus, aut sensum multis narremus, supervacuum arbitramur, qvum libellus in omnium sit manibus. Peto autem æqvum lectorem, ut libellum illum cum meo conferat. Ita enim & ego liberabor labore transcribendi, & lector rectius judicabit.

RESPONSUM AD RATIONEM I.

Pacem ejusmodi non cooperari hæresi vel directe vel indirecte.

AD §. I.

ESto *cooperatio indirecta*, qva malum, qvod potes & debes impedire, non impedis. Nego pace perpetua inita cooperaturos Catholicos hæresi: qvia moraliter impossibile est, ut hæresin Catholici Status impediant vel nunc vel aliqvando post; qvod tamen ponitur tanqvam possibile *n. I. & II.* Impossibilitatem demonstravimus hypothesi XII & XIII. Qvi secus sentiunt, sibi somnia finpunt. Batavos debellari posse, fuit antehac & Hispanis persvasum: nunc mutarunt hi sententiam summo suæ reipubl. bono, nisi qvod remedium justo fortasse tardius sit. Non magis itaqve cooperabuntur indirecte hæresi Catholici Status pacem perpetuam dando, qvam id jam facturus est Rex Hispaniæ.

AD §. II.

Sit *directe cooperari*: agere qvæ svapte natura ad peccatum ordinantur, vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosæ. Subsumo autem: Atqvi per pacem nemo Catholicus tenetur agere qvod svapte natura ad hæresin ordinatur, multo minus socium sese hæreseos præbere: Ergo. Probo Minorem: Qvia nemo Catholicus vi illius pacis

cis obligatur vel laudare hæreticam doctrinam, vel eam docere, vel ad eam qvemqvam ullo modo invitare; sed liberum ipsi permittitur damnare hæreticam doctrinam, hæreticos excommunicare, & gehenna dignos judicare, eorum scripta confutare, & qvidem libris missis per omnes hæreticorum terras. Intelligitur hinc vanitas, qvæ pro directa cooperatione adducuntur, ratiuncularum.

Ad I dico; duplici (ut ita loqvar) infamia laborant Hæretici: altera apud Deum & Ecclesiam, idq; jure divino: altera apud civitatem per leges qvasdam humanas & potissimùm qvidem Pontificias. Vi pacis liberantur à posteriore, non autem à priore. Posterior vero infamia licet tollatur, modò maneat prior qvæ maxima est, satis aversa manet mens vere Catholicorum ab Hæreticis, neqve qvisqvam pius illis accedet ob sublatam infamiam civilem. Et vero observandum, talem infamiæ circa religionem aberrantium civilem pœnam cœpisse non ab initio Ecclesiæ, sed illa jam adulta, & qvidem postqvam diu jam fuisset sub religiosissimis Principibus, qvibus sero tandem Pontifices consenserunt, legum ipsarum rigore aucto: nec Deum Opt. Max. infamia civili notasse in suæ reip. legibus gentiles. Qvis dixerit autem, hoc ipso directe Deum ipsum Paganismo, & primos Christianos Cæsares hæresibus cooperatos? Certe nusqvam id legas in

ſcriptis Sanctorum Patrum aureæ Eccleſiæ.

Ad II: Vi Pacis Hæretico Principi non ſvadetur, multo minus mandatur, mutatio religionis, ſed tantum datur impunitas id agendi; atqve idcirca non juſtum declaratur vi Pacis tale opus, niſi admodum improprie id dicas juſtum qvod licet impune. Qva de re jam dictum hypotheſi x. Porro etſi impune alicubi liceat Principi Hæretico interdicere publicis templis illis qvibus jam ante annum viceſimum qvartum caruerunt Catholicos, eoſq; tandem in exilium mittere, nihil tamen hoc per ſe lædit fidem Catholicam; qvoniam ereptis templis fides ipſa Catholica perſtat integra, nec exilium qvorundam fidem Catholicam ipſam malo ſed bono potius afficit. Certe priſca Eccleſia carceres, exilia, ſupplicia, non numeravit inter ea qvæ fidem tollerent. In Batavis & Anglis ſine publicis templis conſervari Eccleſiam Catholicam, imo creſcere, certum eſt.

Ad III: Sane vi legis datur Proteſtantibus impunitas retinendi bona per ſpolium erepta poſt Transactionem Paſſavienſem: Sed qvid facit illa impunitas directe & per ſe ad hæreſin? Debuiſſet hoc Auctor clare docere, ne videatur glaucoma objicere imperitorum oculis. Si bonorum illorum poſſeſſio per ſe & directe non conſervat fidem Catholicam, (uti non conſervat,) conſeqvens eſt, nec eorum amiſſionem directe Fidei Catholicæ nocere.

Ad

Ad IV: Multo minus apparet, qvid directe faciat ad hæresin tutela ejus publica à vi; nisi fortè directe etiam omni vitio cooperetur is qvi non occidit qvemvis peccatorem. Qvod absurdissimum dictu est. Vero scilicet verius est, id quod sibi paulo pòst Auctor objicit: *omnem quoque tolerantiam licitam ponere tutelam publicam.*

Compellere subditos ad hæresin, vel emigrationem ex patria &c. esse actiones malas, certum est: neq; pax exigit ut illas bonas pronunciet quisqvam Catholicorum, sed licet illas ore & calamo, publice & privatim, improbare. Per pacem ergo *hisce actionibus defensionem, patrocinium, & auxilium promitti,* simpliciter dicere, calumnioſum est. Neqve enim defensio, patrocinium, vel auxilium, vi Pacis Protestantibus debetur, nisi tantum adversus illos, qvi ipsis nolunt impune hoc permittere in Imperio, propria qvadam auctoritate. Satis sc. tuta est Fides spiritualibus armis; & hæresis non aliis felicius impugnatur.

RESPONSUM AD RATIONEM II.

Pacem ejusmodi non inferre injuriam Creatori & veræ religioni.

DUplici argumento heic utitur Auctor: prius cum priore Ratione idem est, non indiget ergo nova confutatione.

Ad II. Verum qvidem est, Hæresin, seu potius Hæreticos, vi pacis, veræ Fidei, aut rectius Catholicis, exæquari in nonnullis: *in dignitate illæsa famæ*, civilis nimirum, *in libertate profitendi doctrinam, in publica defensione à* vi armata, & horum omnium *perpetuitate*. Verum qvoqve est, in his omnibus injuriam esse. Sed negatur, hanc injuriam à Pace creatori & veræ religioni inferri. Creator ipse solem facit oriri super malis æque ac bonis sine culpa injuriæ. Paterfamilias ille in parabola permisit zizania crescere cum tritico usque ad messis tempus, nec ipse tamen injuriæ potuit accusari. Ratio autem horum omnium est, quod mundi hic status non ferat, ut bonis omnibus justa præmia præ malis tribuantur, sed cogat ille nos, in nonnullis malos cum bonis eodem habere loco. Quod ipsum itaq; qvando fit, non ita interpretari debent boni, qvasi illi qvi malos sibi ex parte æqvant, iniq; secum agant: neqve enim ipsis licet aliter. Qvæ ratio autem virtutis & vitii, illa in Germania est hodie Fidei Catholicæ & Hæreseos. Non enim licet veræ Fidei omni loco primas deferre, per iniqvitatem hominum & temporum: sed aliqvid Hæresi est indulgendum, qvo majus ipsius Fidei periculum caveatur. Ideoqve illi qvi indignantur, ex parte æqvari Fidem veram Hæresi, audiant illud prudentissimi patrisfamilias: *finite crescere zizania usque*

ad

ad messem, & in tempore messis dicam messoribus; colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Expectemus omnes tempus messis novissimæ. Gaudeamus & exultemus: qvoniam merces nostra copiosa erit in cœlis.

RESPONSIO AD RATIONEM III.

Pacem ejusmodi non esse causam perditionis animarum.

HÆresin esse causam perditionis animarum, verum est: si Hæresis itaqve robur & stabilimentum suum omne haberet à pace, verum qvoqve esset, qvod causa ejus perditionis sit pax. Quod enim causa est causæ, illud etiam causa est causati. At verò Hæresis sublata pace magis solito sævit, & innumeris malis corpora & animas Catholicorum affligit; ut supra est demonstratum. Itaque pax potius servat qvod supereſt Fidei Catholicæ. Quæ autem mala ab Hæresi proveniunt, non vi pacis proveniunt, sed provenirent æque sine pace, imo magis provenirent & copiosius.

Elucet hinc πρῶτον ψεῦδος eorum qvæ hic afferuntur. Omnia scilicet mala quæ ab Hæreticis proveniunt paci imputantur; qvum tamen constet, jam ante pacis Religionis tempora, omnia illa, imo postea

præter

præter pacis leges, graviſſima qvæqve, hactenus paſſos eſſe Catholicos. Num à pace Auguſtana fuit occupatio tot Epiſcopatuum & monaſteriorum poſt transactionem Paſſavienſem? Num illi adſcribi debet iſthæc in tam multis locis poſthac facta religionis commutatio. Hæc contra pacis leges acta eſſe, omnes conquerimur, & tamen facta eſſe certum eſt.

Itaq; negamus vere à Pace futura eſſe, I Poteſtatē qua utuntur Proteſtantium Principes hæreſin in ſuis ditionibus ſtabiliendi: II Poteſtatem qvam nonnulli novi apoſtatæ fortaſſis exercebunt erga ſuos: III Neceſſitatē qvæ ſubditis eſt impoſita aut hæreſis amplectendæ aut injuſtæ emigrationis: IV Permiſſionem apoſtatandi. Hæc omnia jam ante pacem fuerunt per omnem Germaniam in uſu: per futuram pacem hiſce, omnibus tantum modus aliqvis datus & certus limes poſitus eſt; impunitate tanqvam bono aliquo, revera in ſpeciem, conceſſa, utpote qvum etiam citra pacem omnia hæc impune potuerint Hæretici facere: ceu docent illa qvæ contra pacis Auguſtanæ leges uſqve ad hoc bellum geſta ſunt.

Qvæ *quinto* loco recitantur de cooperatione directa, eadem ſunt cum iis qvæ in Ratione prima & ex parte in ſecunda habentur, ac proinde jam ſunt confutata. Tantum nunc addimus: omnia illa de qvibus ibi Auctor conqveritur, revera obtinuiſſe jam

jam ante pacem, ideoque immerito paci Augustanæ tribui. Perperam vero adducitur illud: *Hæc simplicioribus non immerito ingenerant opinem, utramque religionem esse veram & approbatam.* Nego enim *primo* hanc suscipionem *non immerito generari*, illis positis: neq; enim hoc sequitur ex prioribus ullo modo per bonum syllogismum. Nego *secundo*, si simpliciorum aliquibus hæc opinio nascatur, propterea pacem esse accusandam. Si sane omne illud est accusandum & rejiciendum, quod homini inepto potest dare errandi occasionem, nihil non fuerit rejiciendum.

Specialis ratio, quæ *ultimo* subnectitur, ponit pro fundamento, qvod bona qvæ recuperaruntCatholici sint iterum per leges Pacis eripienda. At verò illa jam tum magnam partem sunt vicissim erepta; si quæ supersunt in nostris manibus, illorum loco perqvam multa Hæretici hodie occupant, & videntur longe plura occupaturi. Quod ne fiat, neve plane pereamus, satius est animo pacifico dare qvod jam amisimus. Bonorum vero illa traditione nullum per se qvidem creatur periculum animarum, ut jam supra est dictum. Dicendum scilicet est cum S. Augustino lib. 1. de Civitate Dei: *Catholici amiserunt omnia quæ habebant. Sed numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis Bona, qui est apud Deum dives? Hæ sunt o-*

pes Christianorum. Quibus opulentus dicebat Apostolus: est quaestus magnus pietas cum sufficientia. Sed multi, inquiunt, Christiani etiam captivi ducti sunt (Catholici in exilium pulsi sunt.) *Hoc sane miserrimum est, si aliquò duci vel pelli potuerunt, ubi DEUM suum non invenerunt.*

RESPONSIO AD RATIONEM IV.

Pacem ejusmodi non esse usurpationem potestatis non competentis.

EXtra controversiam est collocandum, penes Cæsarem & Imperii Status esse potestatem constituendi omnia sine qvibus civilis societas nequit consistere: eamque ipsis competere à Deo. Hujus limites neque necessum est ut excedant, neq; excesserunt hactenus in Pace constituenda. Respondentes ergo ad probationes Assumtionis, dicimus.

Ad I. De fide Catholica, aut *oppositâ illi hæresi decernere*, qvid nempe vel Catholicum sit ves Hæreticum: jus item vel pascendi oves verbo Dei & cibo spirituali, vel abigendi lupos spiritualibus & ecclesiasticis remediis, deque his judicium; non competit Principi politico, fatemur. At vero inqvantum vel Hæresis vel Fides Catholica debeat ab injuria temporali defendi, cum sit temporalis cura, &

& unice faciat ad civilem vitam ejusq; felicitatem, non potest quoque non unice convenire civili Principi. Ast intra hosce limites manet S. Cæsarea Majestas, manent Principes Catholici, pacem civilem Hæreticis concedentes, ità exigente summa Reipublicæ & Ecclesiæ necessitate.

Ad II. Jurisdictio Ecclesiastica potest considerari, aut ut est pure talis, aut ut habet adjunctos multos effectus civiles. Priori modo est spiritualis, nec effectum qui in sensus incurrit habet alium, quam separationem à communione Ecclesiastica. Posteriori modo magna ex parte est temporalis, & nititur lege humana. Neq; enim potestas clavium lege divina extendit sese ad pœnas omnes, qvibus Hæreticos solemus persequi: sed fiunt isthæc ex Principum Christianorum constitutione, vel certe Papalium legum tacita approbatione, adeoque libero in eas Principum consensu. Porro non omnia negotia, quæ hodie fori sunt Ecclesiastici, lege divina istuc pertinent; sed itidem dependent ex lege Principum, qui Ecclesiasticis dederunt eam potestatem. Quemadmodum hæc omnia præclare ab aliis sunt demonstrata. Quum itaque multa pertinentia ad jurisdictionem Ecclesiasticam mere sint temporalia, & dependeant ex lege humana ideoq; mutabili Principum; omnium autem ejusmodi legum dispositio pro usu Imperii & publici boni, juris itidem

sit Principum; consequens est, Cæsarem & Status Imperii intra hosce fines permanentes non peccare, si jam propter necessitates publicas de jurisdictione Ecclesiastica aliter disponant, quam olim fuit, ante hæc calamitosa tempora, cum omnia ordinario cursu fluerent, in usu. In compositione autem pacis nihil disponi de Ecclesiastica jurisdictione, qvatenus illa est spiritualis, multo minus eam suspendi, certum est. Licet enim Episcopis, non obstantibus Pacis legibus, spiritualem jurisdictionem, quæ unica juris est divini, integre exercere: tantum vetitæ sunt illæ pœnæ & illæ animadversiones, ut & illa negotia, quæ per leges arbitrarias Principum jurisdictioni Episcopali fuerunt annexa.

Ad III. Ecclesiæ Germanicæ *bona ita subjacere Ecclesiæ & Pontifici tanquam supremo administratori*, quasi de illis Cæsar & Status Imperii nihil possint disponere, propositio est totius Reipubl. Germanicæ eversia, adeoq; & scandolosa. Plane contrarium multis ostendimus hypothesi VI, VII, IIX. Videatur etiam Conclusio VII, IIX, IX, X.

Ad IV. Jura Ecclesiæ & Episcoporum in hæresin & hæreticos, in Ecclesias earumque bona & subditos, omnesque in Imperio Catholicos, non nituntur tantum jure divino vel Ecclesiastico proprie dicto, sed etiam multò maximam partem jure civili Principum

cipum libro & arbitrario ; quod jam ante monuimus. Per Pacem renunciatur quodammodo posterioribus juribus, non prioribus. Boni hi disputatores cogitare semper deberent illud Salvatoris: *Data Cæsari quæ sunt Cæsaris.*

Injuriosa itaq; vox est Cæsareæ Mejestati & Statibus S.R.I. *quod usurpent jurisdictionem non competentem.* Agnoscere enim utique illos debet Ecclesia Germanica, ut Principes & judices sibi â Deo constitutos. Qui id detrectat, reus est majestatis.

Ejusdem cum prioribus monetæ sunt tres observationes. Quod in I sumitur, *jura religionis & Ecclesiæ à jure divino dependere*, id ex parte tantum verum esse, jam ante est dictum : non mirum est igitur, huic falso principio inniti falsam conclusionem. Ad II. Episcopi, quatenus sunt Principes, habent ex parte τὸ κύριον seu majestatis jura Imperii Romani; itaque omnino possunt constituere aliquid de Ecclesiasticis, inquantum illa dependent ex legibus Principum. Non dubito etiam, in mere Ecclesiasticis habere illos potestatem dispensandi circa ea, quæ legibus positivis Ecclesiasticis aut Pontificiis sunt constituta, non impetrato consensu Pontificis, *rationem sui actus Domino reddituros*, ut loquitur S. Cyprianus: præsertim si id exigat præsens Ecclesiæ necessitas, quæ omnem legem humanam ac positivam frangit. Quod III attinet necessitatem con-

ſenſus Papalis circa pacem, ea de re jam ſupra ſatis eſt dictum concluſ. XIII, XIV, & XV. Sed & ex iis quæ modo allata ſunt liquet, pacem verſari circa ea, quorum diſpoſitio competit Cæſari & Principibus. Ad illa autem ratihabitione quadam Pontificis non eſſe opus, concedunt omnes.

RESPONSIO AD RATIONEM V.

Pacem ejusmodi non repugnare officio & obligationi Cæſaris Statuumque Chatholicorum, ut nec Epiſcoporum.

IPſe, diſputator, agens de defenſione Eccleſiæ, ad quam Cæſar & Status Catholici ſunt aſtricti, adhibet illud *pro virili*. Formula Juramenti Cæſarei quam allegat, habet: *quantum divino fultus adjutorio poterit, ſecundum ſcire & poſſe*. Juramentum Epiſcopale habet: *hæreticos, & ſchiſmaticos & rebelles pro poſſe perſequar & impugnabo*. Apud omnes porro conſtat, neminem obligari ad impoſſibilia. Huic juramento autem adverſa conceſſionem Pacis perpetuæ, quod ponit auctor ille, nego, juxta hypotheſin XIII & XIV. Totum itaque illud nitens falſo principio ſponte ſua cadit, nec ulteriore eget confutatione. Addemus tantum verba R. P. Erbermanni *Irenici Cath. c. XII. n. 7*, ubi de juramento Epiſcoporum agit. *Tolerationi Politicæ mini-*

minime obstat voluntas, buccinatores hæreticos gladio Spiritus pro posse persequendi & impugnandi.

Quæ sub finem odiose adducuntur, illa eadem sunt cum iis quæ allata sunt ratione I & II. ideoque itidem superfluum fuerit illa denuo refellere.

RESPONSIO AD RATIONEM VI.

Pacem ejusmodi non esse frustratoriam, multo minus bello periculosiorem.

QUibus conatur probare, *pacem frustratoriam seu fallacem* esse, illa, ipso fatente, continentur in quinque modò allatis Rationibus. Itaque qvum illæ sint confutaræ, jam tum hoc argumentum etiam est confutatum.

Bello periculosiorem esse pacem, probat unica ratione, nimirum *Hæreticorum perfidia.* Verum concesso antecedente, negatur tamen consequentia. Etenim pax cum hominibus subdolis & fraudulentis inita nunquam periculi quidem est expres, utpote quum tuta non sit, non tamen aperto & feralialiquo bello est periculosior: sunt enim in illa pace saltim aliquæ malorum induciæ, quales fervente bello nullæ sunt. Deinde ambiguitas est in voce *perfidiæ.* Perfidi enim dicuntur I, qui nullam fidem servant persuasi quidvis sibi licere. II, qui in fide servanda, sæpe sunt lubrici, si eos invitare videatur

deatur insignis utilitas. Cum prioribus an posterioribus pacem pangas, multum interest. Cum posterioribus initia pax non quidem caret periculo, sæpe tamen satis diu stat integra, florentibus interea pacis vi rebus publicis. Ut igitur de prioribus nihil dicam, cum posterioris generis hominibus nemo prudens pacem componere detrectat, si ita poscat utilitas publica. Proh dolor, ejusmodi hodie sunt pacis pacta inter potentiores pene omnia, imo semper ejusmodi fuerunt, semper erunt. Illud enim fere est ingenium potentiorū, ut pactorum vim utilitate æstiment. Si igitur nulla pax fuerit ineunda cum istius ingenii hominibus, in perpetuis bellis fuerit toti mundo vivendum: quod est dictu absurdissimum.

Jam autem ut ad Hæreticos veniamus, ipse Autor non videtur illos velle ponere in numero perfidorum primi generis. Et verò id nimis putidum & ab omni veritate alieniſſimum foret convitium. Cujus falsitas cum pateat omnibus, non est verosimile, in cujusquam boni & pii Catholici hominis mentem venisse. Posterioris generis omnes esse Protestantes etsi ponas, non tamen sequitur, pacem cum iis nullam ineundam, aut perseverandum in bello hoc maximè ferali. Ut enim ante diximus, eodem argumento licebit omnem pacem è mundo eliminare. Quid vero opus est verbis, ut ait ille,

ubi

ubi rerum testimonia adsunt? Viximus compluribus annis in pace cum Acatholicis, non quidem sine damno; attamen quis dixerit, eos illius pacis tempore ad nas calamitates fuisse adactos, in quibus hodie miseris nobis est vivendum? Sed videamus etiam argumenta, quibus perfidiam Acatholicorum probat disputator.

Ad I. Cum indefinite loquatur, aut sermo illi est simpliciter de omnibus Acatholicis aut de aliquibus. Si de omnibus, nego omnium perfidiam experientia comprobari. Certe illa experientia de occupatis bonis Ecclesiasticis contra pacta conventa, non pertinet ad omnes, utpote cum id non nisi ab aliquibus sit factum. Quosdam Principes Acatholicos S. Cæsareæ Majestati & bono publico sincerè fidelem navasse operam, sine ingratitudinis nota negari non potest, nec debet: ut qui hoc nomine magnam laudem apud Cæsarem & Status Catholicos, imo ipsum S. Dom. Nostrum, sint consequuti. Hæc dissimulare, non est ingenui hominis. Eorum, qui contra leges pacis Augustanæ bona Ecclesiastica invaserunt, causam ut probem, absit à me. Tantum dubito, num ea in re egerint perfide. Videtur enim, saltim multis eorum, persuasissimum fuisse & esse, vi illius pacis non teneri sese abstinere manus ab illis bonis. Nec mirum, in illam sententiam perductos esse Principes aliquot, utpo-

te qvum illam multis libris defendere non dubitaverint eorum Jurisconsulti, in quorum nonnullis eruditionem ne nos qvidem desideramus. At vere perfidi demum sunt, qui scientes volentes frangunt fidem, non qvi probabilibus argumentis seducti id faciunt. Notum porro est, nonnullos Protestantium illa attentata improbasse, & non desinere improbare.

Ad II. Omnis hæresis qvidem est dissensio à fide: sed per se non est dissensio à tranquillitate civili, adeoqve per se non est paci publicæ adversa. Per accidens, ex sententiarum illa diversitate contentiones & tumultus oriri, & quidem frequenter, solent. Sed hoc nihil ad probandam simpliciter Hæreticorum perfidiam. Certe in veritatis defensione itidem sæpe peccatur, cumprimis à Zelotis. *Servum Domini non oportet pugnare*, ait S. Apostolus: alibi legem sancit.: *Moderatio vestra innotescat omnibus.* Qvam id à nostri ordinis hominibus interdum non servetur, non dicam. Vitia multorum in propatulo sunt. Contendendi & tumultuandi pruritus non profecto hæreseos proprium est in qvarto modo. Esto tamen. Minime vero hinc sequitur: Cum Hæreticis perpetuo belligerandum esse. Tumultus enim qvi subinde concitantur, subinde etiam sedantur. Plurimum quoque est discriminis inter tumultum & bellum, cumprimis inter

hoc

hoc aut huic consimile ferale bellum, qvo in Germaniâ tota Ecclesia videtur & Respublica peritura, & inter alios tumultus hic alibi interdum excitatos. Veriſſimum est illud: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. At propter hæreticas nonnullorum sententias regnum omne non est divisum. Posse regno inter religionum dissidia quietem integram esse, exemplo sit nobis Gallia hodie, & Polonia, cumprimis autem Batavia. Esto vero: sint omnia regna qvæ hæresin tolerant in se divisa: desolabuntur igitur aliquando. Quanto majus malum autem est, jam reapse in solitudinem redigi! Ut autem hoc malum desinat, ineunda nobis, pax est. Forte etiam cum tempore hæretici, si non omnes saltim multi, ad Caltholicam communionem transibunt: nec enim est hoc impossibile. Posse illâ Pace in æternum omnia siniſtra averti, nemo dixerit. Sufficit si à præsentibus liberemur, & quoad ferunt res humanæ in futurum simus tuti. Hæretici fidem qvam Deo debent, reddunt qvidem hæresi sua irritam. Idem autem fit & aliis mortalibus peccatis à maxima hominum multitudine. Pax igitur omnis fuerit è medio tollenda, si audimus hunc Erneſtinum disputatorem.

Ad III. Hæretici *sua opinione ad religionem Catholicam opprimendam incitantur quidem*, sed non ad vi opprimendam, & quidem contra datam

fidem. Nusquam sane legi, hanc doctrinam ab iis constanter doceri. Si unus & alter illorum forte id docuit, non tamen omnibus id imputandum est, imo ne quidem plerisque. Passiva certe eorum doctrina est contraria, & hactenus bona. Docendo pertendunt strenue contra Catholicos esse pugnandum & scribendo. In eo nulla perfidia est. Animi enim hunc sensum nusqvam dissimulant. Si verum est fatendum, justior de Catholicis qvammultis hac in re est Hæreticorū querela. Sed nolo revelare pudenda nostratium. Laudo ingenuum & candidū animum disputatoris: qvi tam vehementer & acriter non dubitaverit hîc oppugnare nostratium quorundam minus laudabiles sententias. Utinam pari in aliis fuisset moderatione!

RESPONSIO AD RATIONEM VII.

Pacem ejusmodi non esse magis inordinatam mendacio.

MEndacium, cum primis in re seria & contractibus, lædit communem mutuam obligationem generis humani, qva tenetur qvisq; ita sentire ac dicit, qvia sine illo nulla potest in genere humano esse societas. Grave itaqve est peccatum. Pax vera, qva de loqvimur, societatem humanam

manam nulla ratione lædit, neqve in se neqve exemplo; multo minus lædit Ecclesiam vel Rempubl. sed eam unice jam conservat, qvum alia media salutis nulla amplius suppetant. In Pace itaque nihil est peccati, à parte eqvidem Catholicorum; tantum abest, illam mendacio pejorem esse.

Ut hoc probet Auctor, sex vult videri adferre rationes: & tamen nihil adfert novi, sed breviter repetit qvæ hactenus attulerat, qvasi illa sint demonstrata. Qvum vero illa à nobis satis confutata sint, frustra hic egerimus actum. Obiter advertere est, qvanta illi scriptori argumentorum sit inopia. Sæpius unum idemqve repetit, tantùm voculis qvibusdam mutatis, ut imperitis sese jactitet, & in summa rationum egestate videatur dives.

RESPONSIO AD RATIONEM IIX.

Pacem ejusmodi S.S. Patrum, Pontificum, & religiosissimorum Principum, suffragio non destitui, vel damnari.

Ad §. I.

Antiqvorum Patrum consensus demonstratur.

Sacrosanctæ Ecclesiæ Patres Pace ejusmodi non tantum nunquam usos, sed etiam oblatam expeditamque damnasse, qvod dicit Ernestus per-

negamus; imo nihil eorum, qvæ hac Pace continentur, unqvam ab iis esse damnatum, asserimus. I. S. Ambrosius negavit Valentiniano Imperatori sacram Catholicorum ædem, in usum Arianorum, nulla id urgente Catholicæ Ecclesiæ salute, sed in merum ejus detrimentum, imo suppetentibus abunde auxiliis Catholicæ Fidei contra Arianos, neqve ex propria, aut Theodosii & Gratiani coimperatorum, sed sola Justinę matris sententiâ, petenti. Qva de re omni legi merentur qvæ notavit Baronius ad annum 387. Exemplum itaqve ad rem nostram nihil facit: utpote qvum nos versemur in qvęstione, num liceat ædem sacram Hæreticis tradere, si id summa postulet Ecclesiæ & Reipublicæ necessitas, inque defectu auxiliorum Fidem Catholicam defendentium: aut potius, num per vim ab Hæreticis occupatam ædem liceat illis relinqvere, si impossibile sit eam recuperare, & par immineat periculum aliis. Verba illa S. Ambrosii: *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt Imperiale aliquod jus habere*, perperam (ne qvid gravius dicam) ita accipiuntur, quasi bona Deo dicata juri Imperatorio esse subdita, simpliciter S. Pater ille negaverit. Sunt nimirum intelligenda, ut vulgo loqvimur, de subjecta materia; hoc est, de absoluto, illimitato, & mere arbitrario illo jure Imperiali, qvod aulici nonnulli adulatores crudo

do sensu tunc allegaverant: nempe *Imperatori licere omnia, ipsius esse universa*, eòqve pro arbitratu licere Imperatori ædes sacras Catholicis eripere & dare Arianis. Hanc esse mentem S. Ambrosii apparet ex ipsis illius verbis quæ habentur epistola 33. ad Marcellinam: *Mandatur denique, trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas esse auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, noli te gravare Imperator.* Agnovit itaq; Ambrosius, in basilicam nullum arbitrarium & absolutũ Cæsari Jus esse, perinde atq; nec in domũ privatam: de eo, qvid liceat exigẽte necessitate, sermo non fuit. Ejusdem porro Ambrosii de bonis Eccles. hæc verba sunt: Oratione adversus Auxentiũ: *Agros Ecclesiæ, si vult Imperator, tollat; potestatem enim habet vindicandorum.* Idem Ep. 31. ait: *Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet: hos reditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumtus est egenorum.* Sciscitabor ego exemplo nostri disputatoris: Si Imperator potestatem habuit vindicandorum Ecclesiæ agrorum tempore Ambrosii, quo postea anno vel ipse hoc jure cessit, vel ab aliis id eripi, sibi passus est?

II. Qvum Gaina templum Arianis peteret intra mœnia Constantinopolis, Arcadium Imperatorem tunc

tunc fuisse *in extrema Imperii imo & religionis necessitate*, narrat Auctor, contra fidem historiæ illius quam nobis descriptam reliquit Sozomenus *l. 8. c. 4.* utpote qvi disertè scribat, factum hoc post rebellionem, cumq; reconciliat⁹ Cæsari Gaina viveret Constantinopoli. Eodem autem modo rem hanc narrat etiam Baronius tomo V Annal. ad annum 400 n. 41. Itaque nec illa S. Chrysostomi oratio ad hoc necessitatis negotium nostrum pertinet, sed exemplum dissimillimum. Tum vero non refert Sozomenus, illa verba quæ Eusebius adducit, à S. CHRYSOSTOMO dicta esse de ipsa traditione templi; sed notavit illa historicus ex sermone quodam Chrysostomi tanquam singulari observatione aliàs digna. Verba historici sunt: *Deinde conversa ad Imperatorem oratione, eum hortabatur: ut* NB. *latam adversus cæteras hæreses legem ratam haberet; simulque consulebat, satius esse Imperio cedere quam prodere domum Dei & à religione deficere.* Quis sanus certè dixerit, tradere basilicam hæreticis hoc esse à religione deficere? Ipse Judicii auctor sect. V. ad 9. §. 1. n. 2. *Neq; si hæretici* inquit: *ex aliqua urbe expelli nequeant, nihilq; præterea in præjudicium religionis tribuatur, illicitum erit, aliquod templum exercitio hæresis assignare, ubi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione sua, quam in privatis ædibus, conveniant.* Addit rationem

notatu

notatu dignam: *Locus enim valde extrinsece se ad peccatum habet: ideoque licere meretrici aut usurario domum locare, cum aliis tenet Sanchez t. 1. lib. 1. in decal. c. 7. n. 20.* Verum ut locus ita & bona extrinsece faciunt ad peccatum. Si licet itaque domum meretrici concedere in lupanar, tantum lucelli spe, ut hi volunt doctores; si ibidem licet meretrici & usurario pecuniam commodare, etsi haud nescias illam cessuram in abusum & peccatum, quod itidem hi non negant: quidni liceat locum & bona Hæreticis concedere, vel saltem iis relinquere, præsertim si id postulet publica necessitas? Observatu autem præterea dignum est, non omnino certam fidem mereri illam Sozomeni relationem, de iis, quæ intra privatos parietes locutus fuerit Chrysostomus. Narrat sane rem eandem Theodoretus *l. V. c. 32.* sed multò aliter. Observandum quoque, habuisse illo ipso tempore Arianos basilicam extra muros Constantinopolis, Chrysostomo non improbante, multò minus damnante.

III. Hunerici Vandalorum Regis & ex adverso τὸ ὁμοούσιον profitentium EPISCOPORUM AFRICÆ negotium quomodo huc faciat, non assequor. Num Acatholici ab Episcopis nostris exigunt juramentum desciscendi à Cæsare, aut etiam non communicandi cum Pontifice Romano, facta promissione, reddituros sese ea lege omnes Ecclesias, quas abstu-

lerunt? Atqui tale quid Hunericus fecit, ceu liqvet ex iis quæ narrat Victor Viticensis *l. 3. de persecutionibus Africæ*, & quod ibi recitatur ipso Hunerici Regis Edicto. Quis dixerit, ejusmodi quid exigi à nostris Episcopis, aut ad simile quid eos adigi vi Pacis? Tale juramentum præstari ab Episcopis Africæ *non solum potuisse, verum etiam debuisse, ab hesternis hodiernisque Theologis & Politicis judicari*, calumnia est non ferenda viris bonis.

Ex aliis porro Patribus & doctoribus ne apicem qvidem potuit Ernestus ille producere. Scio etiam, illum & ipsius similes omni opera collatâ nihil inventuros, qvo improbetur ejusmodi Pax, si id Ecclesiæ Catholicæ & Reipublicæ extrema necessitas postulet.

CONTRA notum est ex historiis, ab Imperatoribus Romanis partem Africæ Vandalis, & Italiam cum ipsa urbe Roma Ostrogotthis, facta pace concessam esse; utut illi essent Ariani, & hæresin illam non tantum disseminarent passim, sed Catholicam Ecclesiam pessime infestarent, in Africa etiam templa & bona sacra Catholicis irent ereptum. Nemo tamen Episcoporum, nemo aliorum Catholicorum illam pacem illicitam & impiam dixit. Ne verbulum qvidem reperias, in omnibus illius temporis scriptis, paci cum hæreticis tunc initæ adversum. Quod indicat, omnes illius ævi viros sanctos, do

ctos, & prudentes, talem pacem consensu suo approbasse. Non ovum autem ovo est similius, quam nostra hæc Pax paci illi cum Arianis Ostrogotthis & Wandalis pactæ. Haud dubie itaque, si reviviscerent illa Ecclesiæ lumina, etiam in nostram hanc Pacem consentirent, ut legitimam & justam. Non sane illis persvasum erat, quod Ernesto & Ernestinis placet, summum bonum Catholicæ religionis in latifundiis opimis ac Principatibus consistere.

Inspicientibus præterea priorum trium seculorum Ecclesiastica scripta, non potest negari, ita tunc à Patribus plærisqve disputatum esse adversum Paganos pro Christianæ fidei libertate, quasi religio simpliciter cujusvis sit liberæ voluntati & conscientiæ permittenda, neque qvisqvam pœnæ aliquid mereatur civilis, si in religione erret. Qvid clarius verbis Tertulliani ad Scapulam? *Humani juris & naturalis potestatis est, unumquemq; quod putaverit colere, nec alii prodest aut obest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debet non vi.* Aut his Lactantii? *Nihil est tam voluntarium quam religio.* Qui ita senserunt, ac existimare potuerunt, Hæreticos in civili vita haberi debere infames, non permittendam illis libertatem sua docendi, à vi non esse defendendos? Jam porro quarti seculi magna parte, nemo Patrum legitur Constantinum Magnum, aut ejus fili-

os proximosque successores cohortatus, infamia Hæreticos notare, illos à vi non defendere, multo minus illos exstirpare. Imo cum ab Arianis Constantius esset seductus, Catholicos multis modis vexare & male afficere, S. Athanasius etiam illo nomine conquestus est de Arianis, quod religionis causa homines mulctarent. Videatur ejus *epistola ad solitarios*. Dignissima quoque lectu sunt, quæ S. Hilarius prolixe disserit in eandem sententiam *libro adversus Auxentium & libro ad Constantium Imperatorem*. Eadem mente fuisse S. Martinum & Sulpitium Severum, clarissimum est ex hujus *hist. sacr. libr. 2.* sub finem & *dialogis*. Ipsum S. Augustinum aliquando ejusdem fuisse opinionis, nec eam omnem post mutasse, fatentur omnes.

Tam multorum itaque Patrum suffragium cum habeat hæreseon libertas, etiam illa quæ citra extremam necessitatem conceditur, profectò male asseritur, carere omni Patrum suffragio pacem necessitate expressam. Si utilitas Ecclesiæ invitet, posse Hæreticis etiam ædem sacram Catholicorum concedi, ipse S. Athanasius utique exemplo suo nos docuit apud Sozomenum *libro 13. cap. 19.* qvod ipse Auctor Judicii fatetur *sect. 5. ad 9. §. 1.* Imo & apud Socratem *l. 2. c. 23.* ac Theodoretum *l. V.*

AD § II.

Pontifices Romanos, neque veteres neque recentiores, dissentire à Pace constituenda.

Nullius Papæ ex quatuor prioribus seculis, vel verbū vel factum potuit aut potest adduci, qvo possit probari, illos vel docuisse, vel Imperatoribus svasisse, ut Hæreticos fama, dignitatibus, bonis exuerent multo minus ut aliqva corporali pœna afficerent. Et tamen poterat hoc ab Imperatoribus fieri, non repugnate vel Ecclesiæ vel Reipubl. necessitate. Itaq; pene dixeris, illos Pontifices summos existimasse, omnes ejusmodi pœnas semper esse injustas. Qvicquid sit, certe huic auctori non sunt patrocinati, quasi illam libertatem non liceat concedere postulante necessitate. Posterius utiq; à nemine Pontificum etiam seqventium usqvam traditum est. Si est traditum, produci debuissent illorum verba.

S. JOHANNEM I Papam, qvem solum ex omni Ecclesiæ veteris ævo produxit in suffragium Ernestus, id fecisse quod narrat Ernestus, non potest non videri dubium illi, qui noverit, Anastasium Bibliothecarium, imo longe illo antiquiorem scriptorem istum cui denique sua quædam novissimi temporis addidit Anastasius, in *vita Johannis*, & Paulum Diaconum, sive qvis alius auctor est *historiæ Miscellæ*, hosque secutos, Aimoinum, Marianum Scotum, Si-

gebertum, Othonem Frisingensem, Gotfridum Viterbiensem, Conradum Vrspergensem, Martinum Polonum, Platinam & complures alios, interque eos omni exceptione hac in re majorem Græcum Cedrenum, plane contrarium narrare: nempe, quo pax maneret Ecclesiis Catholicis per Italiam, motum Joannis precibus Justinum Imperatorem, ut libertas pristina Arianis per Orientem permaneret. Verba ipsa Pontificalis libri, qvo nullum aliud de rebus Pontificum supereſt antiqvius & magis fide dignum monumentum, hæc sunt: *Hic Joannes vocatus est à Rege Theodorico Ravennam. Quem ipse Rex rogans misit in legationem Constantinopolim, ad Justinum Imperatorem Orthodoxum. Quia eodem tempore Justinus Imperator, vir religiosus, voluit hæreticos extricare. Nam summo fervore Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arianorum Catholicas consecraret. Pro hac causâ hæreticus Rex Theodericus, audiens hoc, exarsit, & voluit totam Italiam gladio extingvere. Eodem tempore Joannes Papa agrotus infirmitate, cum fletu ambulavit, & Senatores & Exconsules cum eo, id est Theodorus Importunus Agapitus Exconsules, & alius Agapitus Patricius: qui hoc accipientes in mandatis legationum ab ipso Rege, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis: quod si non, omnem Ita-*

Italiam gladio perderet. Qui dum ambulassent cum Joanne Papa, occurrerunt B. Joanni milleario duodecimo omnis civitas, cum cereis & crucibus, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Quia veteres Græcorum hoc testificabantur, dicentes: à tempore Constantini Augusti & B. Sylvestri Episcopi sedis Apostolicæ, usque ad Justini Augusti tempora, non meruisse partes Græciarum beati Petri Apostoli Vicarium suscepisse cum gloria. Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo humiliavit se pronus, & adoravit beatissimum Papam Joannem. Eodem tempore beatus Joannes Papa cum Senatoribus suprascriptis, cum grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui vero Papa, vel Senatoris, viri religiosi, omnia meruerunt: & liberata est Italia à Theodorico hæretico. Paulo post scribitur: *Eodem tempore revertens Joannes venerabilis Papa & Senatores cum gloriâ, dum omnia obtinuissent à Justino Augusto &c.* Operæ fuerit pretium audire & Paulum Diaconum Aquilegiensem Italiæ rerum utique satis peritum. Illius autem LXV Historiæ Miscellæ hæc sunt verba: *In Orientis partibus, cum adhuc eo tempore per loca singula Ariana hæresis vigeret, Justinus sexto sui Imperii anno, orthodoxæ fidei studio omnimodis satagere cœpit, ut hæreticorum nomen*

men exstingueret, statuitque ut ubique eorum ecclesias Catholica religione consecraret. Quod dum in Italia Rex Theodericus Ariana lue pollutus audisset, Joannem Papam simulque cum eo Theodorum Hypatium atque Agapitum Consulares viros, atque Agapitum Patricium, Constantinopolim ad Justinum Principem misit. Mandat quoque per eos, interminans, quod nisi quantocius hæreticis suas ecclesias redderet, eosque in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio exstingueret. Qui pervenientes ad Augustum, cum ab eo ut dignum erat suscepti essent, magnis eum, de sua suorumque salute solliciti, fletibus postulant, ut suæ legationis seriem, quanquam esset injusta, libenter exciperet, Italiæque perituræ consuleret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis quod petebant concessit Arianosque sui juris reliquit. Hæc illi duo. Aliorum enim verba, quia recentiores sunt, adducere nunc forte fuerit supervacuum. Qvoniam autem hoc est verum, Johannis illud Papæ factum dat magnum patrocinium Paci, qua de agimus, tantum abest ut possit huic opponi. Aliud, fateor, nescio quorum relatu acceptum, narrat Gregorius Turonensis *l. de glor. martyr. c. 40*, sed fabulæ similius longe quam vero: utpote qui in Gallia vixerit, rerum Italiæ minus gnarus, & quibusvis gerris credere sine delectu & exacto judicio sit solitus.

Quæ

Qvæ illius Johannis Papæ nomine fertur epistola, cujus fide vult videri niti Ernestus, illam suspectam merito habendam, ceu suppositiam, ne Cardinalis Baronius quidem negat, quin ipsemet falsitatem subscriptionis coarguit. Prodiit scilicet ex taberna Isidori Mercatoris: quam nemo sapiens hodie vel Romæ non explodit. Possent autem haud difficulter adferri complura alia, quæ eadem doceant (non enim illa epistola vel cum Gregorii fabulis consentit) si res & tempus id concederent.

Nec vero est qvod quem moveat Ernesti ratiocinatio, contra fidem Anastasii, Pauli, & aliorum prolata, quæ habetur *sect. V ad IX* § *1*, etsi pridem illa fuerit usus etiam forte Baronius; *quod Theodoricus Joannem carcere & morte non multasset, si Arianis ecclesias, uti injunxerat, impetrasset.* Caussam scilicet veram illius carceris dudum indicavit ipse Paulus, scribens: *Theodoricus malitia commotus, quod eum Justinus catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit.* Beda item *l. de sex ætat.* ut ad recentiores alios haud sit necessum provocare. Verū hoc prolixè agere non est nostræ operæ. Sufficit jam nobis ostendisse, non debere opponi Pacis negotio Johannis I exemplum, cum saltim dubiæ & incertæ sit fidei: quemadmodum neque nos, secuti Anastasium & Paulum Diaconum aliosque quam

multos, S. Johannis exemplo pacem propugnabimus.

Paparum superioris & nostri ævi dissensum minus recte objici, jam tum evicimus hypothesi XIV, ut & Conclusione XIV & XV. Nè illi quidem nimirum unquam dixerunt, non licere talem pacem concedere, si id summa postulet Ecclesiæ necessitas, sed eorum nonnulli tantùm ab aliis inducti credidêre, nullam fuisse necessitatem quæ id exigeret. Jam verò & Protestationes, si quæ factæ, non eo modo sunt factæ, ut solent fieri detestationes impiarum sententiarum: cujusmodi esse eam, quæ statuit Pacem posse perpetuam dari hæreticis, hic Auctor vult. Protestationes sane ejusmodi coram Notario & testibus sæpissime fieri solent, tantùm eum in finem, ut si fortassis civiliter quid commissum sit in negotio, aliquando detur regressus ad recuperanda jura, non quod omnino putes citra dubitationem, peccatum aliquod morale esse perpetratum.

Ad § III.

Cæsares Reges & Catholicos Status pene omnes ab Ernestinis placitis plurimum fuisse alienos.

Illam fuisse conditionem & fortunam, Honorio Cæsare, Catholicæ Ecclesiæ per Africam, quæ hodie ejusdem est per Germaniam, ullo vel minimo indi-

indicio potest ostendi. Itaque exemplum illud est inconveniens. Constat præterea, lege animadvertisse in Donatistas Honorium, non hæresis ergo (nec enim illi à Catholicis dissidebant hæretica doctrina, solo autem improbo & iniqvissimo schismate) sed qvod illorum *furor*, ut Possidius loqvitur c. 13. *occuparet Africam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum errorem paterentur: violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastarent, cuncta terrerent.* Et vero idem ille Honorius Arianis libertatem cultus sui passim terrarum copse tempore concessit. Opponimus porro (etsi ille hac parte fortasse peccaverit, quod tamen factum non est) uni Honorio omnes Imperatores: *primum* eos qvi Hæreticos tolerarunt non minus atqve alios subditos suos, etiam extra casum necessitatis: *secundo* illos qvi cum Gothis & Vandalis Arianis atque Ecclesiæ Catholicæ persecutoribus pacem inierunt, concessis in eorum potestatem amplissimis Romani Imperii provinciis. Et vero notandum, Theodosii II felicitatem moderationi illius circa partes religione dissidentes acceptam referri à Socrate *l. 7. c. 41.*

Qvam facile autem dictum est ab Auctore *sect. 5. ad IX* § 2, eos qvi libertatem religionis permiserunt, *incautis consiliis impulsos*, tam facile alius id

negaverit. Quod vero ibidem ab illo additur, neminem Cæsarum Hæreticis pacem perpetuam dedisse, repugnat omnibus historiis illius ævi, quæ memorant firmam pacem pactam esse cum Gothis & Vandalis. Cœterum qvo temporum illorum veterum Romani Imperii circa ejus tempestatis hæreses, instituta à Pacis nostræ negotio non aliena esse, liqvido magis appareat, adferam hoc loco pauca qvædam, ex iis qvæ de Edicti Nannetensis in Gallia anno 1599 facta promulgatione narravit Thuanus *l.* 122. petita. *Cum peroraſſet Coquelejus, ad ſingula Edicti capita dicta ſunt ſingulorum ſententiæ. Cumque de ſectariis ad dignitates admittendis difficultas invidioſe à multis nihilominus reponeretur, & exemplo in antiquitate carere diceretur quod in edicto in Proteſtantium gratiam ea de re conſtitutum erat; ab aliis quietiora conſilia amplectentibus contra diſputatum fuit. In hujuſmodi cauſſis multa tranquillitati publicæ ſemper a prudentioribus fuiſſe condonata. Nam cum Manichæi, qui ad imam usque ſcelerum nequitiam pervenerant, Theodoſii & Valentiniani Cæſarum conſtitutione civitatibus pellendi, & ultimo ſupplicio tradendi eſſent; alii autem hæretici prohiberentur magiſtratum gerere, & habere dignitates, aut fieri cauſſarum patroni vel defenſores aut patres civitatum; & Juſtinianus etiam*

etiam sanxisset, neminem errore hæreticorum constrictum hæreditatem vel legatum sive fidei commissum accipere, idque ad ultimas militum, sive communi jure sive militari testarentur, voluntates porrexisset; severitati tot legum exemptos fuisse Gothos, quanquam Ariana peste essent infecti, quippe fœderatos, sicut & eos vocat Olympiodorus. Qui prout Imperatoriæ Majestati visum fuerit, qnoslibet honores & dignitates ad ea consequuntur. Id ex constitutione Græca, ad Titulum Codicis de Hæreticis & Manichæis & Samaritanis, ab Antonio Augustino, viro optimo & doctissimo Jurisconsulto, addita constare, & amplius historiæ certitudine confirmari. Historia autem illa ipsa est qvam fide Anastasii, Pauli Diaconi & aliorum jam ante recitavimus, cum ageremus de Joanne primo id nominis Papa.

De SIGISMUNDO & successoribus Bohemiæ regibus plane contrarium est verissimum. Qvod de Sigismundo colligere est ex historia Bohemica ipsiusmet Aeneæ Sylvii cap. 52. Imo & Bzovii quem testem laudat Ernestus. Videantur sola illa qvæ narrat Bzovius ad A.C. 1436. n. 31. 42. 43. 44. 45. cumprimis. n. 49. Sed & testibus non est opus, cum in medio sint superstites Sigismundi tabulæ, de libertate religionis Bohemis concessa, quas Majestaticas appellant.

CAROLUS V Cæsar in iis literis, qvas Auctor ipse testes adducit, non dicit, nec dixit: propositum aliquid iri Augustæ *quod ipse non possit probare*, sine quidem læsione conscientiæ, sed potius forte non sine aliqva jactura aut detrimento suæ dignitatis & famæ, qvam rebus gestis sibi acquisiverat, maximam. Neque enim alias Ferdinando fratri, quem ipsemet ait *pro Christiano rege se semper habuisse & habere*, plenam componendæ pacis facultatem tribuisset, revocato atq; irrito reddito Procuratorio illo, qvod concesserat Cardinali Truchsesio ejusque socio Jurisconsulto, qvos nempe jam noverat æqvas Pacis conditiones non admissuros: qvod post eventus confirmavit. Qvod si sane iniqvam judicasset Carolus Pacem Augustæ compositam, debuisset (prout potuit) dissensum suum publice postea indicare, non autem tacendo in eam consentire. Qvod quia non fecit, non potest non censeri approbasse.

Esto vero, fluctuaverit tandem nonnihil Carolus in sententia. Carolo opponimus FERDINANDUM fratrem, pietate certe Carolo nihilo inferiorem, & ejus omnes successores religiosissimos Cæsares. Ad qvos jam tum supra provocavimus hypothesi XIV & Conclusione XVI. Cogit indignitas narrationum Ernesti, hoc loco adducere memorabile aliqvod de FERDINANDO Imperatore testimonium, homi-

hominis sectarii quidem, magnæ tamen in aula & Ferdinandi & Maximiliani secundi & Rudolphi secundi Imperatorum existimationis', non ob Medicæ duntaxat artis insignem peritiam atqve usum, sed prudentiam quoque & fidem, Joannis scilicet Cratonis. Idqve qvoniam publice & qvasi coram Imperatore Rudolpho ipso est prolatum, illâ epistolâ qva Jani Dubravii Episcopi Olmucensis Historiam Bohemicam, sua cura editam, Imperatori Rudolpho dedicavit. *Illud*, ait, *reticere non debeo, quod Divus Ferdinandus Imperator crebris sermonibus ante obitum usurparit: Inter summa beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperii concessisset, primum atque maximum vero animi judicio optimaque conscientia hoc se ducere, quod ad sedandas discordias publicas animum adjecisset, & tolerantiæ in Religione formulam benignissimus Deus sibi in mentem dedisset. Est in vivis Joannes Nævius, qui à Serenissimo Archiduce Ferdinando nobis in valetudinis Cæsareæ curatione additus erat. Eo præsente mihi legendam dedit, atque, ut apertis verbis legerem, jussit, epistolam bene longam suâ manu ad Electorem Mauritium multis verbis & accuratissime, de pace publica, conscientiarum libertate, & reipublicæ salute, scriptam. Hanc si censores quidam viderent, haud dubie animadverterent, quam insigni quidem, non modo Italus*

quidam

quidem & Gallus, verum etiam noſtri homines de una religione clamitantes, Divum Ferdinandum, ſacratiſſimæ memoriæ Imperatorem, injuriâ afficiant.

STATUS CATHOLICI anno 1544 improbabant pacem, qvod non viderent neceſſitate eam expoſci: illa perſpecta, mutarunt ſententiam in melius, magno Gemaniæ bono.

OTTONIS & HENRICI Auguſtanorum Epiſcoporum auctoritati opponimus omne qvod reliqvum eſt Germaniæ Archiepiſcoporum & Epiſcoporum; qui profecto illis Auguſtanis non pietate, non Catholicæ fidei amore, qvidqvam ceſſerunt, prudentia longe fuerunt ſuperiores.

Si non deſunt deniqve in aliis rebuspublicis exempla Regum aut Statuum pacem perpetuam damnantium, qva de re non eſt qvod cum Erneſto contendamus, non deſunt in iiſdem exempla illam laudantium. Nannetenſe Edictum pro libertate Religionis in Hugonottorum gratiam ad perpetuitatem eſſe conditum, miror eqvidem, qva fronte auſus fuerit negare Erneſtus. Pridem ante, jam ſcilicet anno 70 ſuperioris ſeculi, Carolus IX Rex diſerte voluit illud qvod tunc condiderat edictum, inter leges Regni recipi, atqve inviolabiliter obſervari, donec per Dei gratiam animi in unam religionem tandem conſpirarint: plane qvemadmodum

modum in Germanica cojit Pax Augustana. Carolum secutus Henricus III sua de Religionis pace edicta singula (edidit autem aliqvot) itidem appellaverat jam, *perpetua & irrevocabilia.* De Nannetensis item Edicti perpetua obligatione non potest dubitari, lectis qvæ Thuanus memorat l. 112. eâ de re & veniſſe in deliberationem & esse constituta. Sed & Ludovicus IV Rex cum alias tùm in Edicto anno 1616 edito diserte illud Nannetense vocavit *edict perpetuel & irrevocable.*

De pacis religiosæ in HUNGARIA nexu item perpetuo non semel composito, complura in promptu sunt: sed nolo iis nunc immorari. Quo tempore sanè Clerus ibi protestatus est, longe fuit ibi melior qvam hodie est Germaniæ status.

Ut ut vero neqve ibi neq; in Gallia concessa fuerit ulla perpetuitas, inde tamen haud licet colligere, ubivis talem pacem perpetuam inprobatam. Utique enim jam noviſſime, ut infinita exempla alia taceam, perpetuam pacem similem cum fœderatis Belgicogermanicis septem provinciis pactus est Rex Catholicus Hispaniarum. Qvod exemplum cum sit omni exceptione majus, etiam nos uno isthoc nunc erimus contenti? etsi plura jam tum nominatim adduxerimus hypothesi XIV & Conclusione XVI.

EPILOGUS.

Hæc licet pauca, (nisi admodum fallor) sole clariorem fecerunt levitatem argumentorum, qvibus usus est Auctor Judicii Theologici, Prorsus eadem autem, alio licet ordine, repetiit Auctor Vehiculi. Neqve enim vel ratiunculam addidit novam, etsi multum fecerit verborum, eadem bis terve ingeminando. Contra illam igitur seorsum agere non videtur operæ esse pretium: præsertim in tam perspicua veritate. Deum Opt. Maximum rogo, ut animos illos à pace aversos melioribus sententiis instruat, qvo desinant tandem reluctari bono publico, & aliorum optima consilia turbare. Idem tandem aliqvando recondat gladium iræ suæ in vaginam, ac misereatur afflictissimæ Germaniæ, reddita illi perpetua & stabili pace.

FINIS.

JUDICIUM THEOLOGICUM SUPER QVÆSTIONE, AN PAX, qvalem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita?

EX

Principiis Christianis, sententiâ Veteris Ecclesiæ, Summorumq; Pontificum deductum:

Iis, qui publica tractant, conscientiam suam curant, aut alienam dirigunt, lectu utile ac necessarium;

Operâ ac studio ERNESTI de Eusebiis civis Romani.

Sumptibus & Typis Theodosii de Sicecela
Armona:
Ecclesiopoli ad Insigne Pietatis,
Anno 1646.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IUDICIUM THEOLOGICUM SUPER QUÆSTIONE, AN TAX, qualem defiderant Protectores, fit fecunda, & illicita?

ET

Principiis Chriſtianis, ſententiâ Veterum Eccleſiæ Summorumque Pontificum deducitur:

Ubi, qui publice tradunt, conſcientiam ſuam cupiunt ac debent dirigere, lectu utile ac neceſſarium.

Operâ ac ſtudio ERNESTI de Engelen civis Romani.

Sumptibus & Typis Theodori de Sicccla Amstelopoli ad Isalgne Piscatis, Anno 1646.

INDEX CONTENTORUM.

SEctio I. Qualem pacem desiderent protestantes.
§.I. Generalis hujus Pacis idea.
§.II, Quas conditiones Pax Religionis contineat.
§.III. Quantum damni & præjudicii hæ conditiones Catholicæ Religioni inferant.
§ IV. Qualem Amnestiam cupiant Protestantes.
SEctio II. Quibus argumentis ostendi videatur, licitè ejusmodi Pacem etiam perpetuam sanciri.
Ratio I. Non est ex se illicitum.
Ratio II. Deus mala permittit.
Ratio III. Zizania noni evellenda.
Ratio IV. Vasa sacra vendi possunt.
Ratio V. Ecclesiasticorũ obligatio & Fundatorũ intentio.
Ratio VI. Necessitas facit omnia communia.
Ratio VII. Absque hoc remedio Pax desperanda.
Ratio VIII. Bona intentio.
Ratio IX. Exempla.
Ratio X. Sententiæ hujus probabilitas.
SEctio III. Quædam in hâc arduâ quæstione præ oculis habenda.
I. Permissio mali triplex.
II. Permissio quæ licita vel illicita.
III. Permissionis cooperantis natura.
IV. Non, qvia licet tolerare, licet absolute paciſci.
V. Principibus politicis nulla juris dictio Ecclesiastica competit.
VI. Quod ex se peccatũ est, necessitas licitũ non facit.
VII. Omnium Statuum Catholicorum interest Pacem illicitam non fieri.
SEctio IV. Pacem cum illis condicionibus quas volunt Protestantes, ex se illicitam esse demonstratur.
Ratio I. Pax ejusmodi hæresi tum directè tum indirectè cooperatur
§. I. Explicatur cooperatio indirecta.
§. II.

§. II. Explicatur coopratio directa. (Religioni.
Ratio II Pax ejusmodi infert in juriam Creatori & veræ
Ratio III. Pax ejusmodi est causa perditionis animarum.
Ratio IV. Pax ejusmodi est usurpatio potestatis non competentis.
Ratio V. Pax ejusmodi repugnat Officio & obligationi Cæsaris, Statuumq; Catholicorum, maximè Episcoporum.
Ratio VI. Pax ejusmodi est frustratoria, ipsoq; bello periculosior.
Ratio VII Pax ejusmodi absque comparatione magis inordinata est mendatio, qvod necessitatis causâ licere negant Catholici.
Ratio VIII. Pax ejusmodi Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum, Veterumq; suffragio destituitur & (damnatur.
§. I. SS. Patres.
§. II. Summi pontifices.
§. III. Cæsares & Principes, Statusq; Catholici.
SEctio V. Argumenta initio allata diluuntur.
Ad I. Non est ex se illicitum.
Ad II. Deus mala permittit.
Ad III Zizania non evellenda.
Ad IV. Vasa sacra vendi possunt.
Ad V. Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.
Ad VI. Necessitas facit omnia communi.
Ad VII. Absqve hoc remedio Pax desperanda.
Ad VIII. Bona intenrio.
Ad IX. Exempla.
§. I. D. SS. Joanne Papa I. & Athanasio.
§. II. De Imperatoribus.
§. III. De Judæis, Usuris, Lupanaribus.
§. IV. De Consilio Roboami 3. Reg. 12.
Ad X. Sententiæ probabilitas.
SEctio VI. Doctrina hactenus tradita de Pace cum Protestantibus in certas regulas redigitur.

Regula 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.

SECTIO

SECTIO I.

Qualem Pacem desiderent Protestantes.

§ I.

Generalis hujus Pacis idea.

UT de Pacis æqvitate vel iniquitate pronunciemus, necesse est conditiones nôsse, qvas certum vel verisimile sit à Protestantibus ac eorum complicibus propositum iri. Occurrunt autem sequentes.

I. Ut Pax religionis Anno Christi 1555. constituta qvoad omnes articulos & clausulas Protestantibus favorabiles sarta tecta in perpetuum maneat & de novo confirmetur. Neque enim huic fundamentali scilicet Imperii Constitutioni quidquam detrahi patientur.

II. Eadem Pax extendatur ad bona & Jura Ecclesiastica, quæ post & contra illam Catholicis eripuerunt Occupârunt autem ab eo tempore viginti ferè episcopatus sive Ecclesiasticos Imperii Principatus, aliasque Ecclesias & Monasteria absque numero.

III. Ad omnia vel aliqua bona ac Jura Ecclesiastica, quæ hisce annis Catholici justo bello aut Judicio recuperârunt, in specie quæ sunt in Palatinatu Protestantibus restituenda.

IV. Ad Civitates Imperii, ut potestatem reformandi Principibus aliisque Statibus parem, quam hactenus contra dictam Pacem usurpârunt, perpetuò & liberè exerceant.

V. Eadem Pax denique extendatur ad Calviniſmum, iisdem conditionibus, quibus illam obtinuit Confessio Augustana. Neq; Status Calviniani acquiescent, donec id impetraverint.

Atque hæc certa & præcipua sunt eorum desideria. Quibus an plura, v.g. relaxationem Reservati Ecclesiasticorum, libertatem religionis in Provinciis Catholicis, aliaque sint addituri, tempus dabit.

NB. Imò jam dedit. Nam & hæc & plura alia in postremis Comi-

Comitiis,& in Conventu Monasterienſi ac Oſnabrugenſi petierunt, ut ex Gravaminibus, que obtulerunt, conſtat.

§. II.

Quas Conditiones PAX Religionis contineat.

CUm PAX de quâ modò agitur, ſit quædam Pacis Religionis confirmatio, extenſio aut ampliatio, hujus conditiones pernoſcende ſunt, ut de illâ judicium feramus. Videtur autem PAX Religionis, prout Receſſui Comitiorũ, Anno 1555 inſerta eſt, ad octodecim ſequentes articulos redigi poſſe.

I. Nullus Status imperii propter Auguſtanam Confeſſionem invadatur, lædatur, opprimatur, neque in vitus ab illâ, ejusque fidei ritibus, ordinationibus, quas vel inſtituerunt Proteſtantes vel inſtituturi ſunt, in ſuis Principatibus ac dominiis repellatur, gravetur, aut contemnatur.

II. Vicisſim Status Auguſtanæ Confeſſionis contra Catholicos nihil attentent,

III. Controverſa Religio aliter quàm Chriſtianis amicis ac pacificis viis & mediis non componatur.

IV. Qui alterutri harum Religionum addicti non ſunt, hâc Pace non comprehendantur.

V Si Archi Epiſcopus, Epiſcopus Prælatus, aliùſve qvispiam Ordinis Eccleſiaſtici, à Catholicâ Religione receſſerit, Eccleſias & Beneficia cum fructibus abſque morâ quidem, ſed ſine detrimento honoris ſui, relinquat.

VII. Eccleſiaſtica jurisdictio adverſus Auguſtanam Confeſſionem ejusque Miniſtros, ritus, Ordinationes, quas inſtituerunt, aut inſtituent, quieſcere atque ſuſpenſa eſſe & manere debent.

VIII. Catholicis reditus, Cenſus, Penſiones ſalvæ maneant, ſalvis juribus ſæcularibus ejus Status, in cujus territorio iſthæc ſita ſunt Eccleſiarũ quoq; miniſteriis, Parochiis, Scholis,

Elee-

Eleemosynis, Hospitalibus ex iis bonis provideatur, unde priùs providebatur, non attento Religionis discrimine.

IX. Si super his præstationibus lites oriantur per arbitros componantur.

X. Nullus Status alium, ejusque subditos ad suam religionem compellat, nec eos arte aliquâ ad se attrahat, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, aut ullatenus defendat.

XI. Si aliqui Religionis ergò ex Statuum seu Catholicorum seu Protestantium Provinciis aliò migrare velint, emigratio bonorumque distractio, [consveto emigrantium tributo, & si mancipia fuerint, lytro persoluto] absque impedimento & honoris obligationumque præjudicio concedatur.

XII. Si compositio Religionis in Concilio generali aut Nationali, aut tractatione Imperiali Comitiorum non sequatur, nihilominus Pax ista secundum omnes suprà dictos articulos vigorem obtineat, usque ad finalem Religionis compositionem. Atque ita modo jam dicto, & aliàs undequaque, constans, absoluta sive inconditionata & perpetua Pax constituta & decreta sit ac maneat.

XIII. In hâc Pace libera quoque Nobilitas Cæsari immediatè subjecta comprehendatur.

XIV. In civitatibus Imperii utraque Religio, ubi aliquamdiò viguit, etiam imposterum ita permaneat. Et neutra pars alterius Religionem & ritus abroget, vel ad eam deserendam alios compellat, sed utraque pacificè & quietè cohabitet.

XV. Constitutiones Imperii vel aliæ Ordinationes contrariæ nihil huic Paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari possit, data verò, impetrata, acceptata nullius sit roboris, sive in judicio, sive extrà.

XVI. Hos articulos Cæsar, Rex, eorumque successores inviolata observabunt, nec contra seu ex potestatis plenitudine, seu alio prætextu agent, neque suo nomine agi permittent. Idem præstabunt Principes, Prælati, Comites, & Civitates Im-

perii, eorumque Successores & hæredes sub obligatione Cæsareæ, Regiæ & Principalis dignitatis, fidei & fidelitatis, in verbo veritatis, omni dolo seclusо.

XVII. Ex utraque parte nec Cæsar, nec ullus Status alterum quocunque modo per se vel alios gravet, opprimat, lædat. Si quis adversus hanc Pacem alteri vim aut molestiam intulerit, Cæsar, aliique Status id facienti non solùm consilium, auxilium, patrocinium nullum præstabunt, sed contrà alteram partem auxilio & patrocinio juvabunt.

XVIII. Cameræ Imperialis Præses & Assessores, secundùm hanc Pacem, non attentâ Religione, partibus Jus dicant. Neque contra hæc processum aut mandatum decernant, vel alio modo agant.

§ III.

Quantum damni & præjudicii hæ Conditiones Catholicæ Religionis inferant.

ID patebit, si apertioribus verbis dictas conditiones in istud Compendium redigamus.

I. Principibus & Statibus Secularibus non solùm fas est à verâ fide deficere, verùm etiam hæresin in Principatus & dominia sua introducere. art. 1. Hinc orta est ea Regula: Jus Religionem introducendi, sive reformandi concessum est alto, sive mero seu sublimi imperio, ut, qui istud habet, potestatem habeat Religionem mutandi & constituendi.

II. Deficiendi libertas conceditur quoque ArchiEpiscopis, Episcopis, Prælatis & aliis quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modò Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant. art. 5.

III. Eadem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum & Statuum, si velint emigrare, art. 11.

IV. Apostatarum honori cavetur, tollendo omnem infamiam juris nimirum seu facti, quæ hæresin sequitur, art. 5. & 11.

V. Subditi Protestantium aut Religionem illorum sequi debent,

bent, aut ex ditionibus eorundem migrare, art.1, & 11. Unde rursus confirmatur Regula sublimis imperii.

VI. Bona Ecclesiastica ante transactionem Passavienſem occupata, quæ Imperio immediatè non subsunt, neque intra neque extra judicium repeti possunt, art.6.

VII. Ecclesiastica Jurisdictio adversus Augustanam Confessionem, ejusque ministros & Ordinationes institutas aut instituendas suspensa est, art.7.

VIII. Catholici ex bonis & redditibus intra territorium Protestantium sitis, ministeriis & scholis Lutheranis providere debent, uti antehàc Catholicis, art. 8.

IX. Si controversiæ Religionis non componantur in Concilio aut Comitiis, nihilominus Pax hæc absoluta, inconditionata & perpetua esse debet, art. 12. Eadem perpetuitas confirmata fuit in Comitiis, Anno 1558.1559.1566.

X. Constitutionibus Imperii & aliis ordinationibus contrariis [adeoque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ] derogatur; neque ulla declaratio in contrarium dari, peti, acceptari potest. art.15.

XI. Ad hanc Pacem observandam Cæsar & Status pro se & & successoribus ac hæredibus suis fidem obligârunt, art.16.

XII. Cæsar & Status Catholici secundùm Pacis hujus articulos non minùs Protestantes, quàm Catholicos defendere debent, imò & juvare in hæresi introducendâ, & subditis ad eam vel emigrationem compellendis, si reniterentur. art.17.

XIII. Denique Camera Imperialis secundùm hanc Pacem non attentâ Religione Jus dicere tenetur, adeoque condemnare v. g. subditos Catholicos Protestantium ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem, &c. art.16.

§. IV.

Qualem Amnistiam cupiant Protestantes.

AMnistia vox Græca significat Legem oblivionis, qualem Thrasybulus Athenis tulit, eâque Rempublicam pacavit. *Reconciliatâ Pace*, ait AEmilius Probus, *cùm plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, nè multaretur*, eamque illi legem oblivionis vocârunt. Idem commemorat Valerius Maximus lib.4.cap.1. & imitatum se in Antonii, Cassii, & Bruti discordiis componendis asserit Cicero Philipp.1.

Præter hanc Amnistiam injuriarum & maleficiorum seu damnorum, alteram quoque postulant Protestantes, jurium & bonorum ereptionem: ut nimirum pars læsa non solùm obliviscatur injuriarum, sed jurium quoque & bonorum injusto bello sibi ereptorum, eaque invasoribus in perpetuum vel ad tempus cedat & relinquat. Hæc posterior Amnistia inusitata est & peracerba. Etsi absque eâ acquieturi Protestantes non videantur.

A quo verò anno & quorum bonorum cessionem postulaturi & impetraturi sint, tempus dabit. [NB. Imò jam dedit, ut ex Amnistiâ editâ, & ex Gravaminibus, quæ Monasterii obtulerunt Protestantes, constat.) Id fixum esto nihil ex se illicitum sanciri, vel cujus potestas non sit penes Cæsarem & Status Imperii, ipsis concedi posse. Eadem enim est ratio Amnistiæ, quæ Pacis, cujus proprietas quædam est vel effectus vel via ad eam obtinendam.

SECTIO II.

Quibus argumentis ostendi videatur, licitè ejusmodi Pacem etiam perpetuam sanciri.

RATIO II.

Non est ex se illicitum.

Etsi

ETsi nullâ necessite urgente illicitum est hæreticos tolerare, illisque falsæ Religionis libertatem permittere aut promittere, at, cùm Reipublicæ salus & veræ Religionis conservatio id exigit, *quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas.* c. quod non est licitum. 4. extra: de Reg. Juris.

RATIO II.

Deus mala permittit.

HUmanum regimen derivatur à Divino & ipsum debet imitari ait S. Thom. 2.2. q. 10. a. 11. c. Ergò sicut Deus mala permittit ob majus bonum, aut ne sequatur majus malum, ita licitè Cæsar & Status Catholici libertatem falsæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitùs intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet. c. duo mala dist. 13.

RATIO III.

Zizania non evellenda.

DIvinæ gubernationis exemplum, Christus Zizaniornm parabolâ confirmat Matth. 13. prohibens, ne *eradicentur cum periculo tritici*, & mandans, ut *sinantur crescere usque ad messem.* Christo igitur morem gerunt, dum cum periculo tritici nolunt eradicare hæreticos, sed initâ Pace sinunt illos crescere usque ad messem à Deo decretam.

RATIO IV.

Vasa sacra vendi possunt.

VAsa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmeteriorum c. aurum 12. q. 2. ergò prædia quoque, pagos & oppida Ecclesiarum hæreticis cedere & transcribere fas est ad redimenda extrema mala, & pericula Imperii & Religionis.

RATIO V.

Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.

ECclesiastici ut præcipua Imperii membra & Religionis Antistites ad utriusque conservationem vel maximè obligantur. Si igitur Pax aliter obtineri nequit, nisi cessione aliquot bonorum Ecclesiasticorum eam recusare non debent, cùm præsertim præcipua Fundatorum fuerit intentio Religionis conservatio.

RATIO VI.

Necessitas facit omnia communia.

IN *necessitate omnia fiunt communia jure naturæ* teste S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. adeò, ut *in casu extremæ necessitatis possit & debeat aliquis etiam auferre aliena*, ut patri subveniat teste eodem q. 62. a. 5. ad 4. Quod cùm in necessitate publicâ, præsertim Religionis, multò magis locum habeat, quàm in privatâ, censendum est ea bona Ecclesiastica, sine quorum cessione Pax sperari non potest, facta esse communia toti Imperio, & cecidisse sub potestatem Cæsaris & Statuum, ut Pacem inde redimant.

RATIO VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

VEl cedendum est Religioni & Ecclesiasticis, vel Pax desperanda Germanis. Negatâ enim Religionis libertate, & omni bonorum Ecclesiasticorum cessione Pacem nullam admittent Protestantes. Non est autem congruum divinæ providentiæ, quòd Deus Cæsari & Statibus potestatem eripuerit, remedii tam necessarii, & nos in necessitatem belli æterni conjecerit.

RATIO VIII.

Bona intentio.

CÆsar & Status Catholici optimâ intentione conservandi Religionem ejusmodi Pacem sanciunt, mala autem per accidens evenientia, aut hæresis promotionem vel approbationem

tionem nequaquam intendunt. Non ergò eâ in re magis peccant, quàm bellum justum aliaque gerendo, cum quibus per accidens & præter intentionem multa scelera, aliaque mala conjunguntur. Ad hæc non pauca Pax Religionis in favorem Catholicorum continet, ut reservatum Ecclesiasticorum, potestatem reformandi Catholicis etiam Statibus & emigrationem Lutheranis quoque subditis concessam. Ut adeò hæc Pax mala sua paribus bonis compenset.

RATIO IX.

Exempla.

S. Joannes Papa I urgente Theodorico Rege Italiæ Arriano libertatem Religionis pro Arrianis à Justino Imperatore Catholico petivit, & impetravit teste Anastasio in Joanne. S. Athanasius teste Zozomeno l. 3. c. 19. instante Constantio Imp. Arrianis Ecclesiam Alexandriæ concedere paratus fuit. Concilium Basileense concessit Bohemis, ut Basileæ in suis hospitiis divina celebrarent.

Christiani Imperatores olim sæpius ejusmodi Religionis libertatem concesserunt. Superiori seculo FERDINANDUS I. aliique Principes Catholici transactionem Passavienſem A. 1552, & Pacem Religionis Anno 1555 sanxerunt. Ejusdem Pacis confirmationem Petrus Canisius cum aliis è Societate Jesu Anno 1566. probavit, & Legato Apostolico, ne obsisteret persvasit, ut refertur in ejus vitâ. Eodem An. FERDINANDUS II. Pacem Pragensem in 40 annos ex Theologorum Consilio pepigit.

His exemplis suffragatur tolerantia Judæorum & permissio usurarum ac lupinarium.

Contraria denique sententia infaustos sæpè exitus habuit tum alibi, tum maximè in Germaniâ, quando An. 1630 Pax à Theologis impedita fuit, ut non dissimilis videatur Consilio, quod Roboamo dederunt juvenes 3. Reg. 12. v. 10.

RATIO

RATIO X.

Sententiæ hujus probabilitas.

PAtrocinantur igitur huic Paci multiplex ratio & autoritas, ut illicita secundùm se dici non queat, sed tutò, in tantis præsertim necesitatibus, Theologi eam svadeant & Principes sequantur. Auctores Compositionis Pacis c. 5. q. 29. n. 52. *etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse* credunt. Tanner. to 3. disp. 1. q. 9. dub. 3. assert. 2. *id quidem non affirmat, sed neque negat.* Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hâc de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diversam partem afferuntur, ut docta sint, merè tamen scholastica sunt: Consiliis & Theologiis practicis nunc opus est.

SECTIO III.

Quædam in hac ardua quæstione præ oculis habenda.

I.

Permissio mali triplex.

PErmisionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis, & Joannes Andreas in reg. peccatum. de Reg. Juris in 6. Item Angelus aliique Summistæ & Theologi, ubi agunt de Usuris. Prima est permissio simplex indulgens pœnam, ut cum ob multitudinem, aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. Secunda & indulget pœnam & præterea prohibet, ne alii malum intempestive impediant vel tollant. Sic Ecclesia non solum tolerat ritus Iudæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festivitates eorum impediant, cœmeteria invadant, personas occidant, &c, sicut de Judæis. c. Qui sincera, dist. 45. Tertia est cooperans & adjuvans, quæ malum non solum tolerat, idque impe-

impedientes coërcet, verum etiam promovet, auget, defendit, vel est pars actionis criminosæ sive peccati. Sic Pilatus permisit quidem, non præcepit Christum crucifigi, *cum tradidit eum voluntati Judæorum.* Luc. 23 v. 25. sed cooperatus est tanto scelleri præstando Judicis autoritatem, & satellites aliaque executionis adminicula suppeditando.

II.

Permissio qua licita vel illicita.

Permittere malum primo & secundo modo, ut majus bonum obtineatur, vel majus malum inpediatur, licitum est. Utriusque permissionis exemplum præbet divinum regimen. Prioris, cum benignitas Dei pœnam dissimulando peccatores, *adducit ad pœnitentiam.* Rom. 2. v. 4. Posterioris, *sinendo Zizania crescere usque ad messem, nobisque prohibendo, ne cum periculo tritici ea eradicemus.* Matth. 13. Extra has duas causas peccant Principes & Magistratus, si scelera manifesta impune tolerant, aut ea corrigere volentes impediunt. *Non enim sine causa gladium portant, Dei enim ministri sunt, vindices in iram iis, qui malum agunt.* Rom. 13. v. 4. Tertio modo malum permittere cooperando sive ad juvando, ex se illicitum est, si id, qvod permittitur, peccatum est. Hoc genus peccati in Catechismo inter peccata aliena recensetur, & generatim damnatur à S. Paulo Rom. 1. v. 32. *quoniam, qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Vel maxime autem cooperatio arguit consensum, cujus est effectus & argumentum.

III.

Permissionis cooperantis natura.

Cooperatio duplex est, directa & indirecta Directa cooperatur malo, qui ea agit *quæ suapte natura ad peccatum ordinantur*, ut sunt illud stabulire, augere, defendere, vel *qui pars est & socius peccati*, ut cum servus concubinam invitat ad herum, aut miles pugnat in bello manifeste injusto. Indirecte cooperatur,

qui malum quod potest & debet impedire non impedit. Sic gubernator cooperatur submersioni navis, quam deberet gubernare, si ex odio v. g. aut negligentia eam permittat submergi, juxta S. Th. 1 2. q. 6. a. 3. Ubi istud indirecte, illud autem prius directe voluntarium vocat. Utrumque reperitur in permissione cooperante. Hoc quidem in permissione Pilati, licet enim non præceperit Christum crucifigi, quem maluisset dimitti, directe tamen cooperatus est, ferendo sententiam & præstando sceleri auctoritatem judicis. Indirectæ cooperationis rei sunt principes & Magistratus, qui scelera tolerant, cum ea punire aut impedire possent, ideoque ex officio deberent. Est vero permissio cooperans seu directa, seu indirecta, *solum permissio comparatione præcepti*, quatenus dicitur permitti, quod non præcipitur, *ad respectu effectus est commissio.* Committit enim peccatum, qui illi cooperatur, & quidem ejusdem speciei: sic *furti reus est qui currit cum fure, & adulterii, qui cum adulteris portionem suam ponit.* Ps. 49 v. 18.

§. IV.

Non quia licet tolerare, licet absolute pacisci.

Id recte admonuerunt autores Compositionis Pacis C. 5. q. 26 n. 30. & Tanner. to 3 disp. 1 q. 9 dub. 3. n. 97. Tolerare enim mala intentione majoris boni aut metu majoris mali, licitum est & laudabile iisdem circumstantiis durantibus. Absolutè autem vel inperpetuum ejusmodi tolerantiam spondere, repugnat obligationi Principum & Magistratuum. Ejusmodi enim promissio secludit circumstantias excusantes, quantum est ex intentione pacisicentium, & natura pacti obligat ad malum tolerandum, etiam mutatis circumstantiis, quando id impediri posset, & ex officio deberet. Unde ejusmodi pactum non solum est ex genere suo illicitum, sed etiam irritum: *Quoties contractus est contra bonos mores juris naturalis aut divini, etiamsi jure jurando firmetur, non fit ratus nec firmus.*

Prin-

V.

Principibus Policitis nulla jurisdictio Ecclesiastica competit.

Duplex est potestas in Ecclesia, ut explicat Suarez lib 3. adversus Regem Angliæ cap. 7. Una ordinis ad sacrificandum & administranda Sacramenta, Altera Juris dictionis, tum in foro interiori ad remittenda peccata, tum in exteriori ad regendam Ecclesiam Dei, quæ huc spectat. Neutrius secundum se capaces sunt Principes & Magistratus politici, ut fatentur omnes Catholici: quia potestatem Spiritualem à politica secundum veræ fidei regulam distingunt. Tam ergo non possunt Principes potestare politica quidquam statuere de juribus Religionis & Ecclesiæ, quatenus illa dimanant à jure pascendi oves Christi, quod accepit Petrus. jo. 21. v 15: quam non possunt exercere illum actum Ordinis. Neque his in rebus necessitas error aut opinio tribuit jurisdictionem, ut in civilibus & in politicis arg. l. Barbarius, ff. de Officio Prætor, tribuere existimatur. Jura enim Religionis & Ecclesiæ gubernandæ non dependent ab arbitrio humano, sed divino: quod dispositioni vel ratihabitioni humanæ non subjacet, nisi quatenus Præsidibus Ecclesiæ Deus concessit. *Ideo vana & irrita sunt, quæcunque Principes & Potestates Seculares de rebus spiritualibus, & ad forum Ecclesiasticum spectantibus statuunt, etsi summa ratione* (imo & necessitate) *nitantur idque propter defectum potestatis & juris dictionis*, Ita Conradus Brunus lib. 3. de hæres. c 17.

VI.

Quod ex se peccatum est necessitas licitum non facit.

Duo id juris naturalis & divini principia persvadent. Unum explicat Christus Matth, 16 v. 26. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*; Nulla ergo tanta jactura est, quæ peccato redimi debeat

aut licite possit, alioqui enim Christus id facienti detrimentum animæ quod solo peccato incurritur, non intentaret. Alterum stabilivit Doctor gentium Rom. 3. v. 8. *non esse videlicet facienda mala, ut eveniant bona*; cum erroris contrarii ex eo, quod diceret etiam *iniquitate nostra Dei justitiam commendari*, falso sibi imposîti blasphemiam à se repulit & damnatione dignam judicavit. Nullum ergo tantum bonum est, cujus causa peccare liceat, alioqui vel maxime ad illustrandam Dei gloriam id liceret, quod veluti blasphemum, ut omnem boni finis intentione peccandi licentiam excluderet, Apostolus damnavit. Quare præpostere nec Christianæ Religionis & Imperii necessitas ad persvadendam Pacem exaggeratur, priusquam licitas esse conditiones constiterit. Quæ si ex se illicitæ fuerint, non magis eas inire fas est, quam necessitatis cujuscunque causa fidem negare, blasphemare, pejerare, fornicari, adulterari. Sicut autem *nemo sanæ mentis consultat de impossibilibus*, teste Aristotele 3. Ethic. cap 3. ita nemo vere Christianus, Deumque timens deliberat de illicitis. *Perinde enim est timoratæ conscientiæ non licere & fieri non posse.*

VII.

Omnium Statuum Catholicorum interest Pacem illicitam non fieri.

Pernicioſus error est existimare, aut nihil aut parum interesse Catholicorum, qui Protestantibus vicini non sunt, neque aliquando bonis aut juribus Ecclesiasticis ab iisdem spoliati fuere, quibus conditionibus PAX transigatur. Cum enim Principes & Status singuli suffragium ferre debeant non pro sesuisque duntaxat ditionibus, sed pro toto Imperio, (secundum plura enim suffragia in Comitiis decerni solet) interest conscientiæ & salutis singulorum, ne quidam legibus divinis & religioni maxime adversum svadeant vel ratum habeant, suoque suffragio comprobent, etsi id non ipsos sed alios concernat. Multo enim iniquius est, aliorum Episcoporum aut Catholicorum bonis

bonis ac juribus suo suffragio derogare, quam suis, in quæ qualecunque jus obtinere videntur. Denique ad omnes Status Catholicos PAX Religionis ejusque extensio attinet, tum quia ex omnium ditione subditi possunt ad hæreticos emigrare, tum quia, si ejusmodi Pace hæresis nimium invalescat, periculum, quod ante paucorum fuit, erit omnium, & ubique vicinus paries ardebit.

SECTIO IV.

Pacem cum illis Conditionibus, quas desiderant Protestantes, ex se illicitam esse demonstratur.

DE perpetua præcipue agimus; temporaria enim parum fidei & securitatis habet Neque acquiescent Protestantes, donec undequaque stabilem seu jam seu aliâs obtineant. Etsi, quæcunque cum illis ineatur, perpetuitatem habeat, quatenus Pacem Religionis includit & confirmat. Quas autem conditiones desiderent Potestantes, patet ex sect. 1. § 1. Talem ergo Pacem & quamvis ei similem ex se sive genere suo illicitam esse, demonstramus sequentibus argumentis.

1. PAX ejusmodi hæresi tum directe tum indirecte cooperatur.
2. Infert injuriam Creatori & veræ Religioni.
3. Est causa perditionis animarum.
4. Est usurpatio potestatis non competentis.
5. Repugnat officio & juramento Cæsaris, Statuumq; Catholicorum, maximè Episcoporum.
6. Est frustratoria, ipsoque bello periculosior.
7. Absque comparatione est magis inordinata mendacio, quod necessitatis causa licere negant Catholici.
8. Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum & Veterum DD. suffragio destituitur & damnatur.

Hæc singillatim demonstremus.

RATIO I.

PAX ejusmodi hæresi tum directe tum indirecte cooperatur.

Utramque cooperationem descripsimus sect. 3. n 1. & 3. Cum vero directa ex indirecta clarius eluceſcat, hanc illi præmittimus.

§ I.

Explicatur cooperatio indirecta.

Ea PAX indirecte cooperatur hæresi quæ sancit illius tolerantiam, exclusis circumstantiis excusantibus, sive eo etiam casu, quo tolli posset ac deberet. Id agit PAX, quam desiderant Protestantes, indirecte ergo hæresi cooperatur. Propositio patet ex indirectæ cooperationis natura sect. 3. §. 1 tradita. Assumptionem probamus:

I. PAX Religionis, quam stabiliri & ampliari volunt Protestantes, est perpetua juxta art. 12. Extenditur ergo in eum quoque casum, quo hæresis tolerari non posset nec deberet, sublatis videlicet causis excusantibus, que sunt majoris boni obtentio aut majoris mali depulsio. Ejusmodi enim circumstantias esse mutabiles tum natura hæresium, quæ ætatem perpetuam non ferunt, tum mutabilis rerum humanraum conditio convincit.

II. Eadem PAX est *absoluta & inconditionata* juxta cit. art. 12; excludit ergo causas excusantes. Ai soluta enim & inconditionata non foret, si à circumstantiis urgentis necessitatis dependeret. His autem sublatis, imminuta v. gr. hæreticorum multitudine aut potentia, Princeps jure divino tenetur scelera & vel maxime hæresin, eorum gravissime punire & extirpare. Quod cum non facit, aut se non facturum promittit, indirectæ cooperationis manifeste reus est.

Neque obstat, quod PAX Religionis videatur initio solum con-

concluſa uſque ad amicabilem Religionis compoſitionem. Nam primo etſi Catholici hac conditione adjecta conſcientiæ ſuæ conſultum cupiebant tamen Proteſtantes paulo antequam PAX Religionis concluderetur, die 7. Septembris, Anno 1555 clauſulam *abſolute & inconditionata perpetuitatis* à FERDINANDO I extorſerunt: Pacem alioqui temporariam & inſtabilem fore cauſantes, ut conſtat ex actis publicis apud Lehmannum. Cum *eadem perpetuitatis clauſula*, PAX Religionis confirmata fuit in Comitiis Anno 1557 Ratisbonæ, Anno 1559 Auguſtæ ſub eodem FERDINAMDO I, & poſtremo iterum Auguſtæ Anno 1566 ſub MAXIMILIANO II.

Deinde etſi conditio compoſitionis amicabilis, ſi eam non ſequi contingat, per clauſulam Pacis perpetuæ excluſa non fuiſſet, nihilominus PAX Religionis perpetua foret. *Conditio enim impoſſibilis habetur pro non adjecta* Cap fin. de condit. appoſ. in deſponſ. vel aliis cantract. Non autem magis poſſibilem aut ſperandam eſſe amicabilem compoſitionem hæreſis cum fide Catholica, quam concordiam ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Chriſti & Belial, experientia à Chriſto nato docuit Idem Germani experimur Nam cum initio ſæqius ejuſmodi compoſitio, in Comitiis maxime, tentata fuerit, nunquam tamen ſucceſſit. Ideoque poſt annum 1566 Cæſar & Status Imperii de ea re velut deſperata in Comitiis nunquam amplius deliberarunt, ſed tam Catholici quam Proteſtantes in Pace Religionis *tanquam lege fundamentali Imperii* acquieſcunt.

Denique etſi daremus hanc conditionem ſimpliciter adjectam & poſſibilem eſſe, illicita tamen foret. Facile enim inciderent tempora, quibus, ſi remedia mollia nihil proficerent, Cæſar & Catholici abſque periculo hæreſin vi coërcere & tollere poſſent, ideoque ex officio, quo gladium portant, deberent.

Hæc perpetuitas omnes conditiones Paci Religionis infertas reddit illicitas, quatenus Religioni Catholicæ adverſantur; etſi aliquæ ad tempus pro circumſtantiis duraturæ neceſſitatis

licite

licite iniri possent. Transfert enim illas ad permissionem tertii generis sive cooperantem sect 3 §. 12 & 3 explacatam; quia extendit heresis tolerantiam ad eos casus, quibus impediri posset ac deberet. Ex quo capite, qualiscunque PAX jam sancitur, illicita erit; si PAX Religionis in ea confirmetur.

§. II.

Explicatur cooperatio directa.

Directe cooperari malo, est ea *agere, quæ suapte natura ad peccatum ordinantur, vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosæ*, ut constat ex sect 3. §. 3. Utroque modo PAX Religionis & quævis illi similis directæ cooperationis rea esse convincitur. Priori modo præstant hæresi autoritatem juris publici, quod ad eam stabiliendam, augendam, defendendam ordinatur quaduplici ratione.

Nam I. Hæretici jure divino & humano infames vi hujus Pacis inter publicas & fundamentales Imperii leges receptæ obtinent Statum illæsæ dignitatis; detrahitur enim hæresi & Apostasiæ omnis infamia sive juris sive facti, art. 5. & 11,

II. Regula annectens jus reformandi, alto scilicet Imperio ex se ordinatur ad hæresin augendam, imo in totum Imperium introducendam, si plures potentioresq; Principes & Status à fide deficiant, aut protestantes hæreditate vel alio juris titulo Catholicas ditiones suas faciant. Hanc regulam deduci ex art. 1 & 11 Pacis Religionis diximus sect. 1 §. 3. Quam confirmat perpetua praxis, & autoritas FERDINANDI. II. Is enim in pace Pragensi Electori Saxoniæ petenti libertatem Religionis pro Provinciis Austriacis, dictam regulam opposuit & firmavit asserens, *quod aliis Statibus concessum sit (ut jus Religionis sublimi Imperio seu juris dictioni territoriali cohæreat) id Cæsari illicitum & vetitum esse non debere.*

III. Iisdem in Tribunali Cæsareo conceditur jus & actio ad spolia Catholicis ante Tractatum Passavienſem erepta repetenda & vindicanda: itidem ad Confessionem Augustanam in ditio-

ditionibus suis introducendam subditis licet invitis, aut Episcopis contradicentibus. Jubentur enim Judices Cameræ Imperialis, secundum dictæ Pacis articulos non attenta Religione jus dicere, art. 18. Vocamus autem hic Jus quamvis legem publice receptam, & Actionem quamvis facultatem aliquid in judicio persequendi, sive juste id fiat, sive injuste; quo pacto Jus Regis appellavit Samuel 1 Reg. 8 v. 11.

IV. Denique si adversus hanc Pacem molestiam aut vim patiantur, non minus eos defendere tenetur Cæsar, quam Catholicos. art. 16 & 17.

Etsi vero permissio quoque secundi generis aliquam actionem aut defensionem tribuit (quo pacto Ecclesia coërcet fideles, ne Judæos in suis ritibus impediant, uti dictum sect. 3. § 1) est tamen ratio valde diversa. Nam aut talis coërcitio non nititur lege perpetua, ut cum malum ad tempus toleratur; aut, si jure est stabilita, ut coërcitio impedientium Judæos, non extendit se ultra ritus ipsorum. Neque enim conceditur illis actio ad bona Catholicis erepta retinenda vel vindicanda, aut Catholicos ad Judaismum compellendos, nec liberantur infamia, nec intervenit participatio peccati vel actionis criminosæ, qualis cernitur in Pace Religionis vel simili, quam desiderant Protestantes.

Nam compellere subditos ad hæresin vel emigrationem ex patria, introducere vel reducere exercitium hæresis in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitime recuperata, ut hæreticis restituantur, non sunt actiones ex se objecto bonæ, neque indifferentes, ergo, cum aliud membrum Theologia ignoret, ex se & objecto malæ sive criminosæ; neque magis excusari possunt, quam subditos domo ejicere, nisi in atrocia scelira consentiant; horum exercitium aliquò introducere vel reducere; eripere denique innocentibus bona vel jura legitime recuperata, ut sceleratis publica vindicta coërcendis restituantur. Hæresis enim *ex suo genere grandia scelera non solum æquat, sed etiam superat*, ut post S. Aug. tr. 89 in Joannem cum

S. Th. 2.2. q. 10. art. 3. docent Theologi. Etsi, quia hoc malum familiare est & majorem Imperii partem occupat, id non æstimamus.

Hujus actionis criminosæ participationem induci, si defensio patrocinium & auxilium hæreticis promittitur, manifestum est.

Expulsio Catholicæ Religionis & Catholicorum ex bonis & juribus legitime recuperatis, in Pace Religionis quidem non continetur, sed novæ Amnistiæ hunc sensum affingere volunt aliqui: ut videlicet Monasteria, Ecclesiæ, ditiones hæreticis per hosce annos legitime ereptæ iisdem restituantur, id est, recuperata prædonibus. Qui si ipsi rursus ea raperent, fieri deberet, quod impediri non posset; si autem Cæsar & Catholici id decernant & re ipsa præstent vel adjuvent, actionis illicitæ & criminosæ vel maxime participes sunt. Atque ex his posterior quoq; modus directæ cooperationis intelligitur.

RATIO II.

PAX ejusmodi infert injuriam Creatori, & veræ Religioni.

Duplici id argumento probamus. Primo ejusmodi PAX cooperatur hæresi, quæ tota ex injuriis & blasphemiis in Deum, Sanctos, veram Ecclesiam & Sacramenta constat. Cooperari autem injuriis Creatoris & veræ Religionis, est illarum reum se facere, *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. v. 32. vide sect. 3. n. 2. Qualis vero sit hæc cooperatio, dictum est RAT. 1.

Secundo PAX hæc præter injuriam cooperationis, aliam quoque specialem Creatori & Religioni infert, dum *hæresin veræ fidei exæquat*

1. *In dignitate illæsa famæ*; detracta enim hæresi infamia, Hæreticos & Apostatas in ordinem hominum honestorum recipit, art. 1. 5. & 11. Quantumvis infames fecerit Christus, Matth.

Matth. 18 v. 17 : *Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, conspirante Jure utroq; Canonico & Civili. Fac simili Pace infamiam detrahi Magiæ & Sodomiæ, & excusa scelus, si potes.

II. *In libertate profitendi*, quæ non solum Principibus, sed omnibus omnino, Laicis & Ecclesiasticis, conceditur, art. 1. 5. 11; & eousque se extendit, ut sicut tota Germania Catholica fuit ac esse deberet, ita per regulam, alti scilicet meri Imperii, ad hæresin tota facile queat traduci. Vnde apparet: *Catholicam Religionem, in Imperio non esse amplius præceptam, sed instar hæresis solum tolerari.* Quæ est insignis contumelia juris divini, & vera fidei, *sine quâ impossibile est Deo placere.* Heb. 11 v. 6 Merito Cardinalis Hosius, Paulo IV Pontifici quærenti, quid sentiret de Pace Religionis, respondit: *Jam quod in ea Constitutione scribitur, liberum esse cuique debere, integra fama, fideque sua se ab Ecclesia Dei separare: quid hoc est aliud, quam sacrilegium schismatis approbare*: uti refert Antonius Possevinus in Epist. ad Stephanum Poloniæ Regem, similem Pacem eidem dissvadens.

III. *In defensione*; æque enim se defensurum eos qui sunt hæreticæ, atque eos qui sunt Catholicæ Confessionis, & eosdem utroque loco habiturum, una cum aliis Catholicis, promisit Cæsar, art. 17. Idemque mandatur Judicibus Cameræ Imperialis, art. 18. *Qua in re esse gravius erratum, quam ut vero sermone explicari queat*, respondit eidem Pontifici idem Cardinalis. Non minus enim illicite promittitur defensio & patrocinium hæresi, quam Magiæ, Sodomiæ, aliisque sceleribus.

IV. *In perpetuitate*; quam propriam Ecclesiæ Catholicæ prærogativam PAX Religionis communem facit cum hæresi, perpetuam ei libertatem paciscendo, contra hæresium naturam, quæ ut cito oriuntur, ita facile occidunt.

Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, ait Isaias cap. 5 v. 20. *Quæ autem conven-*

tio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli, clamat S. Paulus. 2.Cor.6 v. 15: ut honestate, libertate, defensione, perpetuitate pares habeantur, aut fiant?

RATIO III.

PAX ejusmodi est causa perditionis animarum.

Duplici hoc quoque ratione ostendimus. Primo ex cooperatione cum hæresi. RAT.I demonstrata. Cum enim ea fundamentum salutis, fidem nempe evertat, quisquis huic malo cooperatur, perditionis animarum se reum facit. Elucet verò cooperatio in his maxime:

I. PAX Religionis art.I Principibus qui tum defecerant, potestatem dedit hæresin in suis ditionibus stabiliendi, & Catholicam Religionem funditus evertendi. Adeoque miseros illos populos diabolo in perpetuum veluti oppignoravit, ut reliqui Germani in vera fide manerent. Contra morem divinæ bonitatis & justitiæ, quæ ut alios servet, aliis viam salutis non claudit.

II. Eadem PAX Principibus Secularibus, non solum imposterum quoque concedit potestatem deficiendi, sed subditos etiam reformandi; uti art. I & II colligitur, & Imperii Praxis confirmat. Subjacent igitur animæ quoq; subditorum arbitrio Principum Germanorum; frustra clamante Deo Ezech. 18 v. *Ecce omnes animæ meæ sunt.* Tradit enim illas PAX Religionis Principibus eadem ratione seducendas, qua Pilatus metu sui periculi perculsus, Christum tradidit Judæis crucifigendum, Joan. 19 v. 16. Aut ergo Pilatum absolve aut hanc Pacem damna.

III. Subditis imponitur necessitas aut hæresis amplectendæ, aut injustæ emigrationis, art. II. Ut enim emigratio Catholicis inter Catholicos est illecebra Apostasiæ, propter amicam carni novi Evangelii libertatem: ita iisdem inter hæreticos est lex exilii, ipsisque hæreticis remora conversionis. Innumeri,

hisce

hiſce præſertim annis, ad nos tranſiiſſent, aut tranſirent, ſi illis Catholicum Principem retinere, aut ſub Acatholico veram fidem in Patria profiteri liceret. Pauci ſunt Abrahami, qui vocante Deo egrediantur de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui. Gen. 12 v 1. Multi ſe in Patria facile alunt, qui ægre foris mendicant. Denique ſi integra communitas, oppidum, pagus, emigrare vellet, an credimus aut id permiſſuros Status Proteſtantes, aut exules locum apud nos reperturos, ubi conſidere, & victum habere, aut quærere queant?

IV. Facultas apoſtatandi omnibus tum Laicis tum Eccleſiaſticis permittitur, art. 5 & 11. Utrique enim autoritate Pacis Religionis impune tranſire poſſunt ad Confeſſionem Auguſtanam. O miſeros Germanos, quibus peccare licet! *Etſi peccare nemini licet, ſed ſermonis errore labimur; id enim licere dicimus, quod cuique conceditur*, ait Cicero 1. Tuſcul.

V. Cooperatio directa maxime cernitur in autoritate juris publici, qua PAX Religionis hæreſi detrahit infamiam; hæreticis dat actionem, & præſtat defenſionem non minus quam Catholicis; quodque nulla excuſatione colorari poteſt, compellit ſubditos etiam renitentes ad hæreſim, niſi emigrare velint. Si enim maneant, non ſolum per Pacem Religionis veram fidem illis profiteri in patria non licebit, verum etiam compellentur per Principes ſuos, & ſententiam Cæſaris, ſi renitantur, ut Reformationi ſe ſubjiciant, ut bonis avitis ac patria, nulla alia quam veræ Religionis culpa cedant, ac in exilium abeant. Quorum illud ſacrilegium, iſtud iniqvum. Prius autem tam aperte impium eſt, ut licet daremus, emigrationem neceſſitatis obtentu purgari poſſe, alterum optionis membrum fiat inexcuſabile, totamque disjunctionem vitiet. Hæc ſimplicioribus non immerito ingenerant opinionem, utramque Religionem eſſe veram & approbatam: cum præſertim Catholici quoque Pacem Religionis pro lege fundamentali habeant. Quaſi hæreſis tolerantia & defenſio eſſe queat fundamentum Catholici Regiminis, vel Imperii Germanici, quod

tam diu invictum fuit, quamdiu integre Catholicum; ruere cœpit, cum hæresin recepit.

Secundo, speciali ratione, PAX novæ perditionis animarum rea erit, si Catholicam Religionem & Catholicos ex Bonis & Juribus per hosce annos legitime recuperatis expellat; quod ante Pacem Pragensem inauditum fuit in Imperio. Nam PAX Religionis solum concessit, ut Protestantes ea, quæ Catholicis ante eripuerant, retinerent; non autem ut Catholicis eriperentur, quæ tum legitime tenebant, aut recuperârant. Ita indies condatiores sumus in exitium nostrum & aliorum. Nam præterquam quod Pacifici hi expulsores actione criminosa & sacrilega Deum offendunt: innumeras quoque animas, vera fide jam imbutas, aut propediem imbuendas, denuo sub jugum hæresis mittunt.

RATIO IV.

PAX ejusmodi est usurpatio potestatis non competentis.

Ea potestas incompetens est, quæ neque jure divino, neq; humano conceditur. Potestatem sanciendi Pacem Religionis vel aliam similem, Cæsar & Status Imperii neutro jure acceperunt. Potestatem igitur sibi non competentem hac in re usurparunt, & usurpant. Propositio per se patet. Omnis enim potestas à Deo aut homine datur; quam si neuter dedit, nemo habet. Imo *non est potestas nisi à Deo*, Rom 13. v.1: nam illam, quam homines dant, Deus quoque instituit, ut darent.

Assumptio fidem habebit, si ea expendamus, quorum potestatem sibi Cæsar & Status in tali Pace usurpant. Sunt autem hæc præcipua. *Libertas hæresis profitendæ & exercendæ: Suspensio Jurisdictionis Ecclesiasticæ erga hæresin & hæreticos: Cessio & traditio bonorum Ecclesiasticorum & subditorum Catholicorum: Renuntiatio Constitutionum & Ordinationum huic Paci adversantium.* Hæc autem esse extra sphæram potestatis politicæ, ostendimus.

Nam

Nam I. *Oppositorum eadem est ratio*, de fide autem Catholica & Ecclesia nihil decernere potest Princeps Politicus, ergo nec de opposita hæresi, quatenus urgente necessitate toleranda sit. Arcere enim lupos vel tolerare, pertinent ad jus pascendi oves Christi; quod Joan. 21 v. 15 Petro ejusque Successoribus demandatum est. Nec Principes Politici quidquam legitime hac in re agunt, nisi quatenus eorum operam Ecclesia requirit.

II. Non possunt Cæsar & Status suspendere Jurisdictionem Ecclesiasticam, quia nullam habent. Non minus enim suspendere, quam dare, suppr ıit Jurisdictionem ejusdem Ordinis, in suspendente, eamque periorem. Jurisdictio quippe legitime non exercetur, nisi in ıubditos. Cum igitur Episcopi & Ecclesiastici in Spiritualibus & Ecclesiasticis non subdantur potestati politicæ; eorumque Iurisdictio non à potestate tali, sed à Christi in terris Vicario procedat: irritum est & inane, quidquid de ea Principes Politici statuunt: ut dictum est sect. 3 n. 5. Gravissime vero hac in re delinquit *PAX* Religionis, quod jura Ecclesiastica verbo suspendit re ipsa penitus abolet, ob pacti perpetuitatem. Ius enim, quod nullo unquam tempore exerceri poterit, extinctum merito censetur.

III. Ecclesiæ earumque bona subjacent Ecclesiæ & Pontifici, tamquam supremo administratori; non possunt ergo à potestate seculari alienari, seu transferri, maxime in hæreticos; aut, quod nunc agitur, legitime recuperata Catholicis eripi, ut hæreticis restituantur. Etsi vero ex Ecclesiarum thesauris & reditibus, legitima autoritate subveniendum sit periclitanti Imperio & Religioni; oppida tamen, pagi, prædia, seu ditiones earum, cum alto scil. & mero Imperio, hæreticis concedi non possunt. Simul enim tradi deberent animæ. Sic autem paciſci de ovibus Christi cum lupis, utique nefas est.

IV. Tollere vel suspendere ea, quæ sunt Iuris Divini & Ecclesiastici, vel iis renunciare, excedit limites potestatis Politicæ. Iura Ecclesiæ & Episcoporum in hæreticos, in Ecclesias earumque bona & subditos, omnesque in Imperio Catholicos,

nitun-

nituntur jure partim divino, partim Ecclesiastico. Non potuerunt itaque nec possunt Cæsar & Status Imperii ista (quatenus adversantur Paci Religionis aut alteri simili) suspendere, vel illis in præjudicium Religionis & Ecclesiæ renuntiare: uti fecerunt, art. 15. Renuntiando enim omnibus contrariis, vel maxime renuntiarunt Iuribus Pontificis, Ecclesiæ & Episcoporum; hæc quippe Paci Religionis directe repugnant.

Manifestum igitur est, in his usurpari à Cæsare & Statibus Iurisdictionem non competentem, & Ecclesiam Dei sic paciscentibus merito dicere: *Quis vos constituit Principes & Judices super nos?* Exodi 2. v. 14. Ubi præterea hæc observentur.

I. Cum Iura Religionis & Ecclesiæ à Iure divino dependeant, eorumque Laici qua tales sint incapaces; nulla necessitas harum potestatum Cæsari & Statibus magis tribuere potest, quam potestatem Ordinis; uti constat ex sect. 3. num. 5. Quod vero DD. tradunt, *in casu necessitatis publicæ, Principem posse tollere jura & bona aliorum*, non extenditur ad ea quæ sunt juris divini, ut jura Ecclesiæ in Religionem & animas.

II. Neque Episcopis Jus aliquod competit ita paciscendi. Tum quia in Comitiis non exercent potestatem Episcopalem, sed politicam, quam habent ut Principes: Tum quia nec habent Jus dispensandi nec renunciandi. Non prius, quia non possunt dispensare in legibus superiorum, Dei videlicet Ecclesiæ & Pontificum. Non posterius, quia juri publico nemo renuntiare potest, juxta Reg. 45. ff. de reg. Juris. *Privatorum conventio Juri publico non derogat.* Quod eo verius est de Jure Divino & Ecclesiastico, quam de Civili, quo illud est altioris & arctioris Ordinis. Quare erravit FERDINANDUS I si existimavit, ut aliqui scribunt, in sancienda Pace Religionis, conscientiam suam exonerari posse, per consensum Episcoporum.

III. Si quidquam hæreticis Pacis causa licite concedi potest, sine facultate aut ratihabitione Pontificis id fieri non debet; quia is est supremus jurium Religionis & Ecclesiæ arbiter. *Neq; injuriosum sibi debet* Imperialis & *Regia dignitas reputare, si super*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

si super hoc Apostolico judicio se committat, ut ait Innoc. III cap. Novit. de judiciis: exemplis Valentiniani, Theodosii, & Caroli Magni, autoritatem suam in causa violatæ Pacis inter Reges Galliæ & Angliæ confirmans. Mirum profecto est, pro facultate collectandi Ecclesiasticos ad Pontificem recurri: integros vero Episcopatus, Ecclesias, Monasteria, absque consensu Sedis Apostolicæ hæreticis concedi vel restitui. Hoc nempe est excoriare culices, & glutire camelos.

RATIO V.

PAX ejusmodi repugnat Officio & obligationi Cæsaris, Statuumque Catholicorum, maxime Episcoporum.

Ex Officio & Juramento supremi Advocati Ecclesiæ, Cæsar tenetur Religionem Catholicam, jura item Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ, pro virili defendere & promovere; scelera vero, maxime hæresin, punire & tollere. Idem incumbit omnibus Statibus Catholicis ex jure divino; maxime Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, luposque arcere debent, & peculiari Juramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt.

Atqui hæresi perpetuam, absolutam, & inconditionatam impunitatem, paremque cum Religione Catholica defensionem spondere, & vi talis pacti tam directe quam indirecte cooperari in Creatoris injuriam & perditionem animarum, sunt talia, quæ Officio boni Principis & obligationi Cæsaris ac Statuum Catholicorum, præcipue Episcoporum, manifeste repugnant. At in Pace Religionis, vel alia simili, qualem Protestantes desiderant, aut omnia aut aliqua irrefragabiliter continentur. Pugnat igitur ejusmodi PAX cum Officio & obligatione Cæsaris, Statuum Catholicorum, & maxime Episcoporum.

Jurat futurus Imperator super sancta Dei Evangelia, ut ex Pontificali constat, Deo & B. Petro, *Se de cætero protectorem atque defensorem fore Summi Pontificis, & S. Romanæ Ecclesiæ,*

in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus: custodiendo & conservando possessiones ejus, honores, & jura; quantum divino fultus adjutorio poterit, secundum scire & posse suum, recta & pura fide.

Atqui vi Pacis Religionis jurat, seu quod idem est, *in verbo veritatis* spondet, se hostes Pontificis & Romanæ Ecclesiæ perpetuo & inconditionate defensurum non minus quam Catholicos; Principibus hæreticis in hæresi introducenda auxilio futurum; Jurisdictionem Ecclesiasticam erga hæresin & hæreticos exerceri non passurum, nec ut bona Ecclesiastica mediata, ante Tractatum Passavienſem occupata, unquam repetantur. Quæ aliaque talia salvo officio & juramento Cæsaris, non posse præstari, agnoscit, quisquis verba intelligit.

Episcopi in Consecratione inter alia hæc maxime jurant: *se Jura & authoritatem Romanæ Ecclesiæ & Pontificis conservare defendere promovere velle. Neque futuros in Consilio, seu tractatu, in quibus contra Pontificem, vel Ecclesiam Romanam, aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur. Hæreticos Schismaticos & rebelles pro posse persecuturos & impugnaturos. Possessiones ad mensam suam pertinentes nullo modo alienaturos.*

Atqui consentiendo in Pacem Religionis, vel aliam similem, ad contraria se obligant. Qualia sunt, hæresi & hæreticis libertatem perpetuam & inconditionatam concedere; Jura Ecclesiæ & Religionis in bonis Ecclesiasticis & Secularibus, quæ hæreticis conceduntur, suffragio suo suspendere, imo abolere. Præterea, (quod iis Episcopis peculiare est, quorum Diœcesis partem, aut aliqua bona Ecclesiastica ibi sita, hæretici occuparunt) jurisdictionem Episcopalem jure divino sibi competentem erga errantes oves, & jus erepta repetendi, in perpetuum abdicare. Denique se una cum Cæsare obligare, ad hæresis introductionem, & Catholicorum expulsionem, vel seductionem, adjuvandam. Quod multo atrocius est, si Episcopi cogitent, se etiam ad diœcesanorum & ovium à Deo commissarum depravationem promovendam, easque à se abigendas obligari;

ligari; si contingat Principem secularem, in cujus ditionem Diœcesis porrigitur, à fide deficere, & per Regulam alti scilicet meri Imperii, Confessionem Augustanam subditis multis introducere.

Hæc vero in Pace Religionis contineri, evidens est ex dictis, eaque extreme juramento Episcopali adversari, fatebitur, quisquis lucem à tenebris nigrum ab albo dissidere non negat.

RATIO IV.

PAX ejusmodi est frustratoria, ipsoque bello periculosior.

Esse frustratoriam, sive fallacem inde patet, quia *ex neutra parte obligationem inducit; defectu tum materiæ, tum potestatis se obligandi.* Defectus materiæ, apparet ex cooperatione cum hæresi, injuria creatoris & veræ Religionis, violatione deniq; officii: quæ in ejusmodi Pace contineri, demonstravimus RAT. 1.2.3.5. Cum enim hæc secundum se sint illicita, nemo ad ea obligari valide potest. Defectum potestatis explicavimus RAT. 4.

Esse eandem hanc Pacem bello periculosiorem, *persuadet hæreticorum perfidia*; à qua Pacem præ se ferente majus periculum Catholicis inermibus imminere, quam ab eadem à parte belligerante armatis, sapientes non negabunt. Argumenta perfidiæ hæc sunt non vana.

1. *Experientia.* Ab initio enim hæresis in Germania, Protestantes nulla unquam pacta, nec Pacem quidem Religionis, constanter & integre servaverunt. Detinent contra illam, partim ante partim post occupatos viginti fere Episcopatus, sive Principatus Ecclesiasticos, cum innumeris monasteriis: Neque de illis restituendis, uti deberent, sed perpetuo retinendis cogitant. Non desunt exempla eorum, qui recens in gratiam recepti fidem heri datam hodie violant. Ante Pacem Religionis non adeo multa occuparunt, postea cordatiores tantum rapuerunt, ut nunc duas fere tertias partes Imperii Germanici obtineant. Vtinam PAX nova non tantum illis animi addat,

quantum ad reliqua Catholicis eripienda sit satis! Experientiam domesticam confirmat externa totius orbis Catholici, innumeris hæreticæ perfidiæ exemplis.

II. *Hæresis natura.* Est enim ea dissensionis partus & mater. Dissensio autem contrarios affectus inducit, animosque exacerbat. Ea igitur vigente, præsertim in re gravi, qualis est Religio, PAX stabilis sperari non potest. Consonat illud Christi: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Luc. 11. v. 17. Neque credibile est hæreticos, qui fidem Deo debitam irritam faciunt, eam hominibus præstituros.

III. *Hæreticorum sensus.* Detestantur enim Religionem Catholicam, ut falsam, Deo & saluti animarum adversam, eaque opinione ad eam opprimendam continuo incitantur. Sic quondam Oratori Cæsareo opponere non dubitarunt: *non posse se absque læsione conscientiæ Religiosos vel Catholicorum institutа tolerare*, uti refert Hortlederus l. 7. c. 4. n. 23. Ex quibus aliisque scriptis, præcipue quæ ante tredecim fere annos *titulo Veredarii* vulgarunt, apparet, quàm male ad Pacem Religionis, & quamvis aliam cum Catholicis servandam sint animati, si doctrinæ suæ principiis constanter insistant.

Sed prudentia carnis hanc hæreticorum perfidiam, in patrocinium ejusmodi Pacis, & excusandas excusationes in peccatis, detorquet. Ajunt, Cæsarem & Status Catholicos sic paciscentes, *in praxi excusari posse*: quod sciant, hæreticos Pacem mox violaturos, ideoque nec ipsis conditiones illicitæ servandæ sint nec animum eas servandi habere debeant, juxta Regulam DD. quam colligunt ex cap. 3 de Jurejur. & gloss. ibid. & l. cum proponas. 21. C. de pactis: *Quod fidem frangenti, fides servanda non sit.*

Atqui mysterium hoc non minus Pseudo-Theologicum, quam Pseudo-politicum manifeste refellitur.

Primo, pactum ex se illicitum non ideo *extra culpam est, quia paciscens novit effectum per accidens non secuturum.* Sic homicidii reus est, qui promittit alteri cædem innocentis, etsi

prævi-

prævideat, se propter abitum illius, vel diligentem custodiam, id effectui dare non posse. Etsi ergo constet, conditiones illicitas ob alterius partis perfidiam non fore servandas, non ideo extra culpam sunt paciscentes. Trahit enim pactum malitiam ex objecto per se malo, eaque quoad substantiam completur in voluntate & actu paciscendi. Esse vero ex se malum objectum Pacis, quam desiderant Protestantes, agnoscunt Theologi; qui illam asylum hæreticæ perfidiæ eam ab causam appellant.

Deinde Cæsar & Status Catholici serio paciscuntur cum hæreticis, intendunt ergo se obligare ad servandas conditiones Paci insertas, licet illicitas. Nullum enim pactum est serium absque intentione implendi. Antecedens probatur.

I. Cæsar & Status Catholici non mentiuntur, nec perfide agunt ut hæretici. Habent ergo in animo, quod promittunt. Neq; enim dicas, illos excusari à mendacio, quia hæretici mentiuntur: sicut excusantur ab observatione Pacis, quia hæretici eam violant. Nam violatio Pacis per hæreticos, tollit obligationem ejus observandæ à Catholicis, juxta naturam pacti & Reg. cit. Mendacium autem hæreticorum non habentium in animo quod promittunt, non tollit falsitatem à verbis Catholicorum, si ipsorum quoq; mens à verbis discordet.

II. Cæsar & Status Catholici ejusmodi *P*acem cum omnibus conditionibus, sub Imperialis, Regiæ, & Principalis dignitatis attestatione, & in verbo veritatis ac fidelitatis, confirmant. Hæc autem vim juramenti habent: Ergo vel peierant, quod nemo dicet, vel in animo habent quod promittunt.

III. Catholici Pacem promulgatam ejusque conditiones religiose implere solent, etiam quas illicitas esse demonstravimus. Sic si Amnistia, de qua agitur, ad restituenda Protestantibus, quæ Catholici legitime recuperarunt, extendatur: mox mandata emanabunt, quibus Catholici ejusmodi bonis & juribus cedere jubeantur, & recusantes Cæsaris autoritate imo & armis expellantur. (NB. Imo hoc ipsum aperte in recenti de-

creto Amnistiæ continetur.) Quod in Pace Pragensi primum decretum, antea inauditum erat.

IV. Etsi Protestantes fidem frangant, Catholici tamen constanter eam observant; quod perpetua experientia à Pace Religionis hucusque confirmat. Nam post eam novis spoliationibus, & frequenti rebellione multipliciter licet violatam ab hæreticis, Catholici semper fidem servarunt. Paciscuntur ergo serio, sive cum intentione implendi, non solum ex natura pacti secundum se, verum etiam contra illius naturam: cum ab hæreticis fidem frangentibus fidem servant, quam nec dare potuerunt, nec si dare potuissent, ad alterius partis perfidiam ea tenerentur.

Tertio denique, si semel concedimus, posse pactum ex se illicitum excusari, quod paciscentes sciant, ob perfidiam alterius partis id non fore observandum: licebit quantumvis impias conditiones Pacis causa sancire, cum quibusvis hostibus, quos constet ob notam perfidiam mox fore fœdifragos. Fas ergo erit, Turcis v. g. aut Ethnicis, si Pacem aliter non admittant, spondere, nos Mahometum vel Idola culturos, & pro Religione Christiana Alcoranum observaturos: modo constet, Pace mox ab illis violanda, conditiones tam impias non fore implendas. Vel enim omnes conditiones illicitæ sic purgantur, vel nullæ. Hæc scilicet praxis novæ Theologiæ, fœdera cum hæreticis sanciendi est, Ecclesiæ Dei, omnibusq; retro Orthodoxis Theologis ignota, & præcepto profitendæ fidei adversa. Quam si in praxin recipimus, in eo sumus, ut Pacis studio à fide deficiamus.

RATIO VII.

PAX ejusmodi absque comparatione magis inordinata est mendacio, quod necessitatis causa licere negant Catholici.

Mendacium ex genere suo una solum inordinatione laborat, *quod aliquis voce significet id quod non habet in mente*, ut

ait

S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. Ob hunc verborum abusum, naturali eorum institutioni repugnantem, Aristoteles 4. Ethic. 7. natura magistra pronuntiat, mendacium esse per se pravum & fugiendum. Omnesque hodie Catholici cum S. Augustino lib. contra mendacium, & de mendacio juxta cap. super eo, de usuris, consentiunt: illud ex genere suo esse peccatum, neque ullius boni intentione aut mali vitandi causa licere mentiri; contra Cassianum, qui Collat. 17. 18 19 20. *usum mendacii, perinde ut hellebori probat*, & alios quosdam Veteres: quorum error licet in levibus mendaciis fuisset tolerabilis, ad gravia tamen pernicioſa & blasphema salva fide extendi non posset.

Nunc multiplicem Pacis, quam desiderant Protestantes, inordinationem, cum unica mendacii inordinatione componemus.

I. PAX ejusmodi *repugnat ordini luminis naturalis*; quod non solum monstrat, malum non esse faciendum, sed neque eidem cooperandum, suffragante Apostolo 1. Rom. v. ult. Multiplicem autem cooperationem cum hæresi malorum pessimo in tali Pace contineri, demonstravimus RAT. I.

II. *Violat ordinem Caritatis Divinæ & Religionis*; non solum in utriusque injuriam hæresi cooperando, verum etiam veræ Religioni falsam exæquando, in dignitate illæsæ famæ, libertate eam profitendi, defensione, perpetuitate, & denique juris publici autoritate, ut ostensum est RAT. 2.

III. *Evertit ordinem Caritatis proximi*; non solum per hæresin cooperando perditioni animarum, sed etiam velut ex officio, ad hæresin vel injustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo. Catholicam deinde Religionem & Catholicos ex bonis & locis legitime recuperatis expellendo, ut ostensum est RAT. 3.

IV. *Excedit ordinem Justitiæ*; usurpando jurisdictionem non competentem in Causas Religionis, Personas Ecclesiasticas, & bona ac jura Ecclesiarum, ut declaravimus RAT. 4.

V. *Peccat in fidelitate*; contra Officium & obligationem

Cæsaris

Cæsaris Statuumque Catholicorum, maxime Episcoporum, ut liquet ex RAT. 5.

VI. Denique *veritatis quoque ordinem perturbat*; est enim frustratoria sive fallax, adeoque grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale apud eos, qui defectum materiæ & potestatis ignorant, ut manifestum est ex RAT. 6.

Ex qua tam multiplici, gravissimaque inordinatione, necessario ita concludimus. Deus unicam levissimamque jocosi vel officiosi mendacii inordinationem, publicis Ecclesiæ aut Reipublicæ necessitatibus non condonat; sed neutram vult mentiendo conservari; Ergo multo minus alterutram vel utramq; vult conservari hac inordinatissima Pace, quæ Ordinem Naturæ, Religionis, Caritatis Dei & proximi, Fidelitatis, & ipsius denique Veritatis gravissime violat. Neque vero ratio reddi potest, cur in summa licet necessitate, inordinatum, adeoque peccatum sit, aliud verbis significare, aliud in mente habere: non sit autem inordinatum seu peccatum, cooperari malo contra lumen naturæ veræ Religioni falsam æquare; proximum in ruinam spiritualem impellere; usurpare potestatem non competentem; in perpetuum spondere, quæ officio repugnant, pactum denique frustratorium & fallax inire. Tam enim intrinsece laborat PAX ejusmodi sextuplici hac inordinatione, quam mendacium una simplici. Aut ergo licitum est mentiri Reipublicæ & Religionis causa, aut illicitum est sic paciscì.

RATIO IIX.

PAX ejusmodi Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, SS. Patrum, Veterumque suffragio destituitur, & damnatur.

§ I.

SS. Patres.

Nullum

Nullum exemplum aut suffragium SS. Patrum, Veterum DD. Summorumque præcipue Pontificum, pro hac Pace allegari potest, etsi tot hæresium, hæreticorumque procellis Ecclesia Dei jactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu S. suggerente sæpius quæsituros fuisse ejus Antistites & Doctores, si legitimum esset. Non solum autem eo nunquam usi sunt, sed etiam oblatum constantissime rejecerunt, expeditumque damnarunt. Cujus rei exempla rariora extant, quod ejusmodi pacta Legibus Divinis tam manifeste repugnare Veteres crederent, ut nec hæretici quidem ea postulare auderent, de Pace autem perpetua absoluta & inconditionata impetranda ne quidem somniarent.

S. Ambrosius Valentiniano Imp. Ecclesiam Mediolani pro Arrianis postulanti, intrepide id negavit, nulla periculi sui habita ratione. Responsum suum ipse commemorat ep. 33. ad Marcellinam. *Allegatur*, ait, *Imperatori licere omnia; ipsum esse universa. Respondeo, Noli te gravare Imperator; ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere.* Habet historiam hanc prolixe Baronius Anno Christi 300. Nobis licet scisciari; Si Imperator tempore S. Ambrosii nullum in Divina Jus Imperiale habuit, quo postea anno, quo Privilegio, quo Pontifice illud acquisivit?

S. Johannes Chrysostomus, uti refert Sozomenus l. 8. c. 4. Gaynæ summo exercitus Cæsarei Duci Arriano, Ecclesiam Constantinopoli concedere noluit, etsi Arcadius Imp. ob Gaynæ rebellionem, in extrema Imperij, imo & Religionis necessitate, id impensissime flagitaret. Respondit vero S. Chrysostomus: *Satius esse Imperio cedere, quam prodere domum Dei, & à Religione deficere.* Non quod Arcadius à fide Catholica deficere cogitaret, sed quod Religionis quædam violatio S. Chrysostomi judicio foret, si Imperator quidqam juris sibi in Ecclesias usurparet.

Hunericus convocatis universæ Africæ & vicinarum insularum Episcopis, ablatas Ecclesias se redditurum promisit; si jurarent

rarent, se desiderare ut filius Hunericus ei in Regno succedat, & ad regiones transmarinas epistolas non directuros: sed præter aliquot simpliciores, qui verebantur, ne populus Dei inposterum diceret, quod vitio Sacerdotum non fuerint Ecclesiæ restitutæ, reliqui sanctitate, doctina & martyrio deinde illustres, teste Victore Uticensi lib. 3 de persecut. Wandalorum, sentientes dolum fraudis, jurare noluerunt: etsi eo juramento Religionem, Ecclesias, exilium, mortem, famamque Episcoporum redimi non solum potuisse, verum etiam debuisse, hesterni hodiernique Theologi & Politici judicabunt.

De aliis PP. & DD. qui ante Pacem Religionis scripserunt, id universim dixisse sufficiat: nullius Orthodoxi Scriptoris Theologi suffragium pro tali Pace posse produci. Cujus præcipuos articulos decem fere annis, antequam PAX Religionis conderetur, confutavit libris sex adversus hæreticos Conradus Brunus, Ottonis Cardinalis Truchsesii & Episcopi Augustani Cancellarius.

§. II.

Summi Pontifices.

S. Joannes Papa I. & Martyr, An. Chr. 526 à Theodorico Rege Italiæ Arriano, Constantinopolim ad Justinum Imp. ire compulsus cum eo inter alia mandato: *ut Imperatorem permoveret ad reddendas Arrianis Ecclesias in partibus Orientis, id nisi faceret, se totam Italiam gladio perditurum: impius mandatis non solum non paruit, verum etiam suffragante sibi Justino piissimo Imperatore, quascunque illis in partibus Arrianorum Ecclesias reperire potuit, Catholicas consecravit.* Ita ipse testatur in Epist. ad Episcopos Italiæ, qua, post reditum in carcerem à Theodorico conjectus, eosdem hortatus est, ne periculi aut necessitatis causa tyranno cederent. *Et quanquam*, ait, *prædictus Theodoricus Rex, eorum* (Arrianorum) *peste tactus intrinsecus, nos & omnem regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur: nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro*

Domi-

Dominico elaborare ſtudete. Et juxta veritatis vocem: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Quæ verba in Pacis, quam hodie deſiderant Proteſtantes, condemnationem, paulo poſt glorioſus Martyr ſuo ſanguine obſignavit. Vt ruborem inde mutuentur, qui adverſus autoritatem & rationem frontem perfricuerunt. Sed de S. Joanne prolixe Baronius An. Chr. 525. & 523.

Paulus III Carolum V graviter reprehendit ob eoſdem fere articulos, qui poſtea Paci Religionis inſerti ſunt, ad tempus hæreticis conceſſos in Comitiis Spirenſibus An. Chr. 1544. Qui idem jam ante, cum ex ſententia Statuum in Comitiis Ratisbonenſibus An. Chr. 1541, quorundam articulorum ab Eccleſia diſſentientium, quoad per Oecumenicum Concilium declarentur, tolerantia ab eo peteretur, id facere recuſavit: *quod neque Chriſtiana & Catholica veritas, neque ſua & Apoſtolicæ Sedis dignitas id permitterent*, ut ait in Bulla indictionis Concilii Tridentini.

Paulus IV edita Bulla Paci Religionis (quæ ipſo 23. Maij, An. 1555 ad Pontificatum evectum, quatuor poſt menſibus 25. Septembris, Auguſtæ in Comitiis concluſa fuit) contradixiſſe poſtea fertur. Nam ipſis Comitiis Legatus Apoſtolicus non interfuit. Cardinalis enim Moronus ad ea miſſus, audira morte Julii III qui 23. Martii deceſſerat, mox in Urbem ad novi Pontificis electionem rediit; comite Ottone Cardinale Truchſeſio & Epiſcopo Auguſtano. Sed ante eorum adventum 9 Aprilis electus eſt Marcellus II ipſoque Pontificatus initio 1 Maij vita functus. Quæ duorum Pontificum mors, & tertii electio recens peracta, cauſa fuit, quo minus Legatus Apoſtolicus ad Comitia denuo mitteretur, & nomine Sedis Apoſtolicæ Paci Religionis ſe opponeret.

Etſi vero Pauli IV Bullam, ſeu litteras ad Carolum V, nobis videre non contigit: ejus tamen de Pace Religionis ſententia ex epiſtola Antonii Poſſevini ad Regem Poloniæ, quæ habetur in fine operum ipſius, manifeſta eſt. Poſſevinus enim Regi Ste-

phano, ne hæreticis Poloniæ libertatem hæresis Paci Religionis similem concederet, non aliis argumentis persuasit, quam quæ Cardinalem Hosium, à Paulo IV de memorata Pace interrogatum, protulisse testatur. Præcipue notanda sunt ea verba: *Non ignorat Sanctitas Vestra, quod N. agnoverit, quam absurda, quamque multa impia, decretum hoc in se contineret, quodque multum restitans, multis prius profusis lacrymis invitus subscripserit.* Et paulo infra: *Certe concedere, qualia fuerunt in illis Comitiis postulata, nihil aliud fuit, quam Christum negare, &c.* Etsi vero Possevinus, neque Cæsaris FERDINANDI nomen, neque Pacem Religionis exprimat, evidens tamen est, ex tempore Pontificatus Pauli IV & mentione rerum Germanicarum; & quod ea libertas Confessioni Augustanæ in solo Imperio receptæ concessa dicitur; quod denique articuli ab Hosio producti, in Pace Religionis reperiantur; eam ipsam ejusque autorem FERDINANDUM condemnari.

Pius V anno Chr. 1566 Cardinalem Joannem Franciscum Commendonum Augustam ad Comitia ablegavit, pauloque post per litteras eidem mandavit, ut si quæ adversus Concilium Tridentinum decreta fierent, eaque Cardinalis impedire non posset, nomine Sedis Apostolicæ protestationem interponeret. Quod his præcipue verbis fecit: *Itaque ut muneris mei partes hac in re præstem, ac ut ejusdem S. D. N. jussa hac in parte exequar: post quam S. C. M. MAXIMILIANVM II Prælatos ac Principes Catholicos non modo semel, sed bis & pluries, ob D. N. JESV Christi viscera obtestatus sum, requisivi, & admonui, ne permittant ac consentiant de veniri ad hanc tacitam vel expressam confirmationem Recessus Anni 1555 (quatenus continet Pacem Religionis) ob quam aliqua ratione, vel modo minima etiam in parte, Concilii Tridentini decretis, præsertim in ejus dogmatibus, præjudicari possit. Et cum mihi facultas non detur, hoc Officium præstare publice in eorum Congregationibus & Conciliis, ob interventum nonnullorum Principum, qui Religioni nostræ adversantur, & ad evitanda scandala, quæ oriri possunt; coram Notario & Testi-*

bus

bus protestor nomine S. Sedis Apostolicæ, ac S. D. N. me nedum hisce eorum Ordinationibus & Statutis non consensisse, & consentire, verum etiam expresse contradixisse & contradicere. Prout & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam. Ne vero quis de hac protestatione ambigat, noverit ejus exemplum authenticum in Archivio Episcopatus Augustani asservari, unde hæc exscripsimus.

Urbanus IIX, datis literis, quas Nuntius Apostolicus Anno 1631 Francofurti Legato Cæsaris exhibuit; *neque Cæsarem, neq. alios Status, aut Episcopos, potestatem habere, de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi,* aperte significavit. In eandem sententiam respondit Romæ Anno 1634 Legato Electori Moguntini: nimirum Catholicos non posse cum hæreticis de bonis Ecclesiæ & Religione paciscì, imo nec Papam posse dare consensum, aut potestatem. (NB. Ejusdem Pontificis nomine adversus Amnistiam nuper Ratisbonæ concluſam protestationem Cæsari obtulit Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus, Dominus Gaspar Archi Episcopus Athenarum, ad S. C. M. cum potestate Legati de Latere Nuntius, in hæc verba.

Cum in præsentibus Imperialibus Comitiis, de mandato V. C. M. in hac Ratisbonensi Civitate convocatis, concluſum fuerit super Amnistia infrascripti seu alterius tenoris, &c. ac diversa fuerint ab Hæreticis producta in Directorio, ut vocant, gravamina; cum hæc sint contra SS. Patrum Decreta, Concilia Oecomenica Generalia & Constitutiones Summorum Pontificum, Ideo Ego Gaspar Archiepiscopus Athenarum S. D. N. Urbani Papæ IIX ac S. Sedis Apostolicæ Nuntius, Sanctitatis Suæ ac S. Sedis nomine, sicuti sui Pastoralis Officii solicitudo postulat, C. M. V. ut Catholicum Principem, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Advocatum ac Defensorem rogo, requiro & hortor: ut Majorum suorum vestigiis inhæreat, & ut pietatem M. V. decet, incolumitatem & integritatem, & Religionis Catholicæ, & Ecclesiasticorum ac priorum locorum, Personarumque Ecclesiasticarum in-

demnitatem tueatur: neque permittat, aut consentiat secus quid. Alias omni meliori modo ejusdem S. D. N. ac Sedis Apostolicæ nomine repugno & resisto; meque semper repugnare & resistere velle profiteor; prout certus sum, quod idem S. D. N. ac ipsa Sedes Apostolica repugnabit & resistet. Datum Ratisbonæ 18. Aprilis Anno 1641.

Sane quo animi sensu Sua Sanctitas acceperit id, quod Deputati Francofurti 22 Augusti 1643. anni super Bonis Ecclesiæ Protestantibus tradendis statuerunt, & S. Cæsareæ Majestati approbandum obtulerunt, patet ex Brevi Apostolico ad Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Episcopum Augustanum ex Urbe 17. Oct. Dato in hæc verba. VRBANVS PP. VIII, *Propositam Francofurti de Ecclesiasticis Bonis Hæreticorum potestati committendis sententiam, ex Fraternitatis Tuæ litteris, tum etiam ex supplici libello ad Nos transmisso, non sine ingenti molestia audivimus. Nempe facile est conjicere quænam inde animarum pernicies, & sacri cultus imminutio exspectanda esset. Et tamen Imperator Electus pietate pollet, eam erga Ecclesiasticos gerit propensionem, ut minime verendum arbitremur, ne improbum illud consilium constanter simul & religiose rejiciat. Nos quidem ut Pontificii muneris partes impleamus, cuncta, quæ è re fore significasti, officia accurate adhibuimus, Deumque precamur, ut optatus exitus gravissimo negotio haudquaquam desit. Interim qua par est laude prosequimur insignem Zelum Fraternitatis Tuæ: cui jugem à Divina Clementia felicitatem petimus, & Apostolicam benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ die 17. Octobris. 1643.*

Adversus tot Pontifices Pacem talem, qualem desiderant Protestantes, seu suadere seu probare, est viam sibi aliisque ad supremam in Ecclesia autoritatem enervandam aperire. Profecto ambigua foret Dei erga Ecclesiam providentia, si Christi Vicarium in tantis Religionis Catholicæ necessitatibus decipi pateretur in ea Pace repudianda, quam Theologi & politici

hujus

hujus seculi salva conscientia non solum iniri posse, sed etiam illicite recusari, pronuntiant.

§. III.

Cæsares & Principes Statusque Catholici.

Honorius Imp. Attalo Tyranno Africam tentaturo Religionis libertatem rescripto Donatistis concesserat. Id cum teste Baronio A. C. 410 in magnum Religionis Christianæ dispendium redundaret, rogantibus Episcopis rescidit, postridie ejus diei, quo Roma capta est ab Alarico, ut constat ex l. 51 Cod. Theodos. de hæreticis. Paulo post misso Marcellino Tribuno, eosdem Donatistas ad Collationem illam celeberrimam cum Catholicis adegit. Præclare vero expendit Orosius l. 7. c. 24. Honorium, quod licet undique bellis obrutus, & à multis Tyrannis oppressus, à Religionis Catholicæ adversus hæreticos tuendæ studio se non passus sit absterreri, mirifica à Deo beneficia consecutum. Apparuit sane, quam verissimum atque certissimum sit, tunc Deum curare ac tueri Principum regna, cum ipsi Principes pro Religione laborant. Contra vero cum id negligitur, vel humana prudentia, (quæ ex Apostoli sententia Deo inimica est) in religionem peccatur, ipsa Imperia in deterius prolabi, penitusque consumi, ait Baronius Anno Chr. 411. n. 38.

Sigismundus Imp. cum post multas clades ab Hussitis acceptas, nec inducias quidem ab iis impetrare posset, nisi Religionis libertatem, & utriusque speciei usum indulgeret, Ecclesiasticos præterea bonis externis ablatis ad vitam scilicet Apostolicam redigeret, &c. nihil horum concessit, in summa licet difficultate constitutus. Nihilominus, Deo constantiam remunerante, iniquis postulatis maturioris deliberationis spe elusis, in Vrbem Pragensem receptus, & Rex Bohemiæ coronatus est, referente Bzovio to. 15. An. Chr. 1420. n. 9. Vtinam sicut Protestantes, Pacis, quam desiderant, ideam ab Hussitis cum multis erroribus acceperunt; ita Sigismundi successores, negandæ ejusmodi Pacis exemplum ab eodem sumerent!

Caro-

Carolus V à constantia reprimendi hæreticos, in nimiam adversus eos indulgentiam deflexisse visus est, cum An. 1544. Spiræ in Comitiis, iisdem fere conditionibus Pacem temporariam sanxit, quas postea PAX Religionis æternitate donavit. Harum vero conditionum non solum illum deinde pœnituit, verum etiam pleraſq; defectu maxime potestatis, irritas declaravit, in instructione, quam Ottoni Cardinali & Episcopo Augustano Anno 1555 Legato Bruxellis misit 10 Aprilis Anno 1554. Anno deinde sequente, Comitiis jam cœptis, ad eundem Cardinalem, & Legationis socium Jurisconsultum Bruxellis 9 Junii hæc scripsit, quæ ex Germanico reddimus.

Cum præterea nesciamus, quomodo tractatus præsertim in causa Religionis, in dictis Comitiis successuri sint: & tamen vereamur, ne ab aliquibus tam gravia puncta proponantur, quibus si coram adessemus, nulla ratione assentiri possemus, vel deberemus: ideoque præfatum dilectum Fratrem nostrum Romanorum Regem (procul dubio contra Dilectionis suæ mentem & voluntatem, utpote quem semper pro Christiano Rege habuimus & habemus) aliqui Status vehementissimi urgeant; hanc ob causam neque Dilectio tua, neque Tu ulli rei Nostro Nomine autoritatem præstabitis. Sed Dilectionem suam (cum eidem omnem potestatem & facultatem absolute tractandi & decernendi tribuimus, tamquam Romanorum Regi & post Nos in Imperio supremo capiti) non solum quantum in istis efficere & obtinere poterit, verum etiam in omnibus rebus occurentibus absolute tractare & decernere permittatis. Neque Nostro Nomine quidquam addetis, nisi ut Dilectioni suæ subjectissimam operam exhibeatis: & res omnes pro viribus ad optimum exitum deducere laboretis. Hæ literæ una cum Instructione extant in Archivio Episcopatus Augustani, & habentur in appendice Compositionis Pacis lit. B. & D.

Ex quibus apparet, Carolum V, in summis illorum temporum necessitatibus, *Pacem Religionis illicitam judicasse*: ideoq; in eam consensurum non fuisse, si præsens fuisset. *Imo neque directe consensisse* dici potest, cum per Commissarios suo nomine

mine ratam haberi noluerit; & Regi Ferdinando potestatem talis Pacis sanciendæ minime contulerit, quam sibi non competere, in Instructione & literis ad Cardinalem Ottonem paulo ante pronuntiavit.

Sed neque Ferdinando autori suo eam Pacem probatam fuisse, non ignoravit Paulus IV: *quod nimirum agnoverit, quam absurda, quamque impia multa decretum hoc* (Pacis Religionis) *in se contineret; quodque multum restitans, multis prius profusis lacrymis invitus subscripserit*, cum à nulla re magis, quam à tali subscriptione mens illius abhorreret: ut memorato Pontifici respondit Cardinalis Hosius, teste Possevino, in Epist. ad Stephanum Regem Poloniæ. Cui ergo ejusmodi PAX arrideat, quam ipse conditior pœnitentis animi lachrymis deploravit?

Ejusdem rei argumentum quoque est: quod cum Carolus V. An. 1544, absque consensu Statuum, ex plenitudine prætensæ potestatis, eosdem articulos de Religione & bonis Ecclesiasticis, quos postea irritos declaravit, sanxisset, FERDINANDVS sciens, ipso Carolo teste, *tantam potestatem neque illi neque sibi competere*, absque Archi-Episcoporum & Episcoporum consensu Pacem Religionis inire noluit. *Pro oneroso reputatur, quod C. M. sicuti ante Anno 44 factum est, quidquam in se suscipiat; Episcopis omnia agenda sunt*, ait Conradus Brunus in literis ad Cardinalem Ottonem 1555 die Pentecostes datis. Sed cum Episcopi neque dispensandi neque renuntiandi jus habeant, ut ostendimus RAT. 41 hoc exonerandæ conscientiæ consilium frustra susceptum esse apparet.

Vt magis pateat sensus FERDINANDI Primi circa potestatem Principum Sæcularium in bona Dei & Ecclesiæ, simulque contra Goldasti pudendam calumniam vindicetur egregii Principis pietas & conscientiæ studium, licet subjicere extractum Testamenti ipsius, è Germanico in Latinum versum, & eorum qui modo publicæ Pacificationis consilia tractant, lectione ac imitatione dignissimum. Is talis est.

Caterum ad animum nostrum Regium reduximus, qualiter

Status nostri Regni Bohemici opinentur, usum ac consuetudinem obtinuisse, quod Fundationes, Monasteria & bona Ecclesiastica inter Cameralia nostra bona recensenda sint, adeoque Nobis veluti Regi Bohemiæ jus competat, ejusmodi bona non tantum ad tempus, sed etiam hæreditario & in perpetuum mutandi, atque ad alios pro libitu transferendi. Quod insuper tempore nostri Regiminis in tabulas Regni publicas articulus irrepserit, quo Ecclesiastici prohibentur bona Ecclesiastica à nobis & Prædecessoribus aut Successoribus Nostris Bohemiæ Regibus ad alios translata aut transferenda, repetere. Sed quando jam rem accuratius expendimus, sane deprehendimus bona quidem Ecclesiastica sub sæcularium Principum potestate constituta, & in sustentationem famulorum Dei, ad ipsius Omnipotentis honorem destinata, à Sæculari potestate, non minus quam ipsa propria Principum bona Cameralia, protegi ac defendi debere: Sed qua æquitate quove prætextu Nos cum Bohemicis Nostris Statibus, aut quivis alius Magistratus Sæcularis, potestatem nobis arrogemus, bona Omnipotenti Deo in augmentum divini sui cultus, sustentationem Ministrorum Ecclesiæ & Deo dicatarum personarum collata ac donata, Bonis Nostris Cameralibus æquandi aut accensendi; adeo ut liberum nobis sit illa pro libitu mutare, alienare, ac transferre, aut cuilibet alteri ea bona fide & secura conscientia accipere, penitus non dispicimus. Cum potius omni Juri & æquitati congruum sit, ut illa, qua semel Deo dicata, & in ejusdem cultum destinata sunt, nec Nos, nec ullus alius aliò transferat, multo minus veluti sua attrectet, expendat, aut dilapidet. Quapropter cum nemo non æquum æstimet, quod nullus proximo suo id quod ipsius est invito eripiat aut attrectet; merito ac deliberatissima mente concludimus, neque Nobis neque Successoribus aut subditis Nostris Statibus Bohemiæ licere, Deo Omnipotenti Creatori ac Redemptori nostro, aut ipsius Ecclesiæ sive ipsi devotis Personis Ecclesiasticis, quod ipsorum est, eripere, attrectare, aut transferre. Neque excusare Nos aut Nostros Status Regni Bohemiæ potest Nostrum aut Ipsorum supradictum Privilegium, usus sive consuetudo, aut Tabulæ Publicæ

Regni

Regni; cum etiam in mere temporalibus ac profanis causis, inferiori aut subdito non competat ullum jus circa bona Superioris sive Magistratus disponendi; adeoque neque Nobis, neque Nostris liceat ulla ratione Bona Deo Domino Nostro aut Justitiæ ejus semel tradita, veluti Nostra propria tractare, alienare aut mutare. Idcirco cum errorem suum fateri ac emendare nemini grave aut probrosum esse debeat, Nos pro Nostra parte prædictam libertatem, consuetudinem, & articulum Tabulis Regni insertum, nullarum virium aut valoris esse decernimus. Quin imo ex animo dolemus, Nos in illum articulum consensisse, & ejus vigore aliqua Bona Ecclesiastica hæreditariò aliis tradere animum induxisse, imo quantum est ex Parte nostra datis litteris Nostro Sigillo munitis aliqua de facto tradidisse. Hinc Filios Nostros charissimos Paterne requirimus ac monemus, ut prudenter considerantes, quantis gratiis, opibus, ac felicitate Dominus Deus eos auxerit, qui loca & bona Ipsi dicata favore homines vero Ecclesiasticos amore & honore prosecuti fuerunt; è contra vero quam horrendis pœnis multati fuerint omnes illi, qui Ecclesias & Ecclesiasticos lacerarunt, aut inhonorarunt, bonaque ipsorum ausu temerario attrectarunt, & in suos usus impenderunt; supradictam Ordinationem Provincialem, quoad illum articulum, ne sequantur, sed dimittant, neque ulla Bona Ecclesiastica hæreditariò vendere aut transferre præsumant; sed ejusmodi bona potius iis Beneficiis ac Monasteriis, quibus dicata fuerunt, conservent, neque ullaratione amplius obligent, sed quantum fieri ullo modo potest, jam distracta aut oppignorata redimant, & Monasteriis ac Regularibus Personis restituant: Nostroque Nomine Status nostros Bohemicos moneant ac compellant, ut quantum est ex parte ipsorum, supradictam ex se ipsa invalidam libertatem, consuetudinem, & articulum, ultrò dimittant, bonaque Ecclesiastica, quæ Nostra aut alterius traditione detinent, accepto justo pretio Ecclesiis restituant, eumque articulum (quem in rei veritate ex inadvertentia veluti licitum irrepere sivimus) ex renovatis Regni Tabulis expungant, & Ecclesiasticis non minus quam aliis ea, ad quæ Jus ha-

bent, Ordinaria Juris via quærere ac repetere permittatur. Hactenus FERDINANDUS Cæsar.

Ex quibus constat, nullum Secularibus Principibus circa Bona Dei prostituenda, aut Protestantibus concedenda, jus competere.

Intellexerunt id Status Catholici in Comitiis Spirensibus Anno 1544, & Wormatiensibus Anno 1545. Cum enim in prioribus Carolus V. Articulos inauspicatos statueret; posterioribus autem Colloquium ad disceptandas Religionis controversias indiceret: *neque in dictos articulos, neque in colloquium se consensisse, aut consentire posse, sed cum S. C. M. ex plenitudine potestatis ita sanxerit, se id toleraturos, & neminem contra gravaturos*, per parenthesin Receſſui Comitiorum insertam, professi sunt. A qua sententia, cum plus interea juris non acquiviserant, neque in Legibus Divinis aut Ecclesiasticis deprehenderant, decennio pòst Anno 1555, Pontifice ne quidem consulto, infeliciter recesserunt, sanciendo Pacem Religionis Articulis Spirensibus longe deteriorem, utpote perpetuam, & quæ latissimam portam Apostasiæ Principum, omniumque Catholicorum, & ultimo Religionis Catholicæ exterminio aperiret.

Sit in benedictione memoria præstantissimi Cardinalis & Episcopi Augustani Ottonis Truchsesij, qui ne latum unguem ab hac veteri Ecclesiæ Dei & Staruum Catholicorum in Imperio sententia discessit, sed glorioſa Protestatione eidem Paci contradixit: *Se potius corpus, vitam, & quidquid in terris obtineret, abdicaturum professus, quam ut in ullum Tractatum vel Articulum Iuribus Religionis & Ecclesiæ adversantem consentiret.* Extat ea Protestatio in Compositione Pacis c. 11. 9. 7. 8. n. 2. Quam in pluribus Comitiis sequentibus Anno, 1557, Anno 1559, Anno 1566, & denique Anno 1570, aut ipse repetivit, aut per Legatos suos repeti jussit, cum in præjudicium Religionis & Ecclesiæ aliquid decerneretur.

Memoratum Cardinalem secutus fertur Gervvicus celeber-

rimo-

rimorum monasteriorum Weingartensis & Ochsenhusani Ordinis S. Benedicti Abbas. Qui finitis Comitiis Anno 1555 id oraculum protulit: *de illis rebus transactum esse cum Protestantibus, quarum jus & potestatem Cæsar & Status Imperii nullam habeant.*

Præcessoris sui exemplo hodieque inhæret Illustrissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Henricus, Episcopus Augustanus, dum per Legatum suum in præsentibus Comitiis eandem Protestationem suo nomine interposuit, quando aliqua in præjudicium Religionis & Ecclesiæ proponebantur; quam voluntatem tamquam Testamentum suum præclaris & Religionis zelo pleniſſimis litteris, sub finem vitæ ad Legatum suum Monasterium Westphalorum Anno Christi 1646 missis, ita confirmavit, uti post gratias eidem Legato pro officio rite præstito actas, omnium præterea bonorum, & ipsius etiam sanguinis jactura, idem obsignare paratus fuerit, modò Ecclesiæ Catholicæ jus suum integrum & illæsum hac ratione conservare posset. Aureæ omnino literæ sunt quarum copia si esset, ad teporem nonnullorum excutiendum hic insererem.

Quid contra Amnistiam recens cum Ecclesiæ detrimento concluſam fecerit, patet ex protestatione quam sua Celsitudo Cæsari, Cancellariæ Moguntinæ, & Consilii Principum Directoribus, per Adm. Nobilem & Magnificum Dominum Mattheum Wanner J.V.D. Cancellarium suum proposuit, in eum, qui sequitur tenorem.

Nos Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Augustanus, &c. profitemur & declaramus, quod omnem desiderabilem Pacem re ipsa promovere, & pro Nostra parte fideliter servare, neque adversus quenquam hostile quid moliri velimus. Simul autem verbis & animo testamur, quod in articulos seu media Pacis ab Anno 1555 hucusque in Comitiis ac Tractatibus Imperialibus proposita & concluſa, vel imposterum proponenda & concludenda, quatenus Catholicæ Religioni, ejusque dogmatibus, juribus, rebus ac personis adversantur, sive multum sive parum, con-

sentire neque possumus neque volumus. Sed confidimus, Nos in Nostra obligatione, qua Pontificiæ Sanctitati & Sedi Apostolicæ, Cæsareæ item Majestati, & Sacro Imperio Nos obstrinximus, constanter & inviolabiliter permansuros; ac potius, quam ut in ejusmodi Tractatum consentiamus, corpus, vitam, & quidquid in terris habemus, constanter abdicabimus. Coram Deo & universo mundo expresse protestantes, Nos in obligationum & juramentorum Nostrorum observatione, ut constantis animi Christianum & Germanum natum decet, usque ad mortem perseveraturos. Actum Dillingæ in arce Episcopalis residentiæ Nostræ, die 30 Januarii, Anno 1641.

NEQUE desunt externa Catholicorum exempla. Sæpius Regibus Galliarum contradixerunt ejus Regni Status Catholici, cum hæreticis libertas Religionis concessa fuit, conditionibus licet multo æquioribus, quam nostræ sunt. Nunquam enim in Gallia libertas Religionis hæreticis in perpetuum promissa est. Non concessa Statibus Acatholicis facultas subditos pervertendi aut expellendi, neque introducendi exercitium hæreticum, nisi iis locis ubi resident; aut proscribendi Religionem Catholicam, quæ reducta est in omnia loca totius Regni, ubi ejus exercitium fuerat intermissum: restituere denique hæretici debuerunt omnia Ecclesiastica Jura ac Bona, Catholicis antehac erepta, uti constat ex edicto Nannetensi. Quo (autore Petro Matthæo *lib. histor. sui temporis*) Pacem & libertatem Hugonottis concessit Henricus IV Anno 1599, insertis præcipuis etiam articulis, quos Henricus III Anno 1577 & Carolus IX Anno 1561 sanxerant. Quod vero aditum ad dignitates hæreticis eousque in Galliis clausum aperuit, & nimis forte multis locis exercitium Reformatæ Religionis, ut vocant, permisit; legitimæ quidem permissionis limites excessisse videri potest, multum tamen excusationis habet, quod pacto perpetuo ista non firmavit, neque in Leges publicas Regni recepit. Cujus argumentum manifestum illud est, quod causas hujus Pacis & Hugonottorum non in Parlamento, sed in extraordinario & tempo-

temporario tribunali, quod Cameram Edicti appellavit, voluit tractari, teste eodem Matthæo.

Sed claudamus exemplo vicino Catholicorum Statuum Hungariæ. Qui Anno 1638 in Comitiis Posonienſibus, cum hæretici illius regni Religionis libertatem Paci Religionis Germanicæ ſimilem poſtularent, proteſtationem ſcripto obtulerunt, ex noſtræ ſententiæ firmamentis affirmantes, non magis hæreſi, quam homicidiis, aliisque ſceleribus poſſe autoritatem juris publici concedi, & defenſionem promitti, etſi tolerari debeant zizania, quando abſque periculo evelli non poſſunt. Sed Proteſtationis Epilogum audiamus.

Quæ cum ita ſint, ajunt, *M. V. obſecramus per miſericordiam Dei, per animæ ſuæ ſalutem, per inclytæ Domus Auſtriacæ illibatam fidem, per æternum poſteritatis de M. V. judicium: ut hanc libertatem Religionis, omnibus legibus Regni noſtri contrariam concedere non velit, articuliſque includi non patiatur. Sed contenta ſit M. V. tolerare, quod corrigere non licet. Si vero, quod abſit, M. V. aliter ſtatuerit faciendum, Nos omnes & ſinguli, Prælati, Capitula, Conventus, ceterique omnium Ordinum Status Eccleſiaſtici in Hungaria, coram Divina majeſtate, glorioſiſſimaq; Virgine Maria, item coram M. V. & toto mundo proteſtamur, Ordinem Eccleſiaſticum nunquam conſenſiſſe, nec conſenſurum deinceps eſſe in hanc libertatis conceſſionem; atque adeo ante tremendum Divinæ Juſtitiæ tribunal rationem animarum, quæ occaſione hujus libertatis æterna damnationi adjudicabuntur, à ſe tranſcribere. Rogamus vero M. V. ut hanc Noſtram proteſtationem benigne ac clementer ſuſcipere dignetur. Deus enim, qui corda ſcrutatur & renes, teſtis eſt, quod nullo alio fine hæc Noſtra Reclamatio & Proteſtatio à Nobis profecta eſt, quam ut Noſtræ inprimis, quos Deus animarum ſaluti procuranda præfecit, deinde vero & cæterorum conſcientiæ conſuleremus. De cetero M. V. diu feliciterque ac digne imperare, à Deo votis omnibus ac ſacrificiis contendemus.*

Hoc tam illuſtri exemplo Hungari præluxerunt vicinis Germanis.

manis. Quod si imitarentur, non magis quam illi periclitarentur de jactura gratiæ & pacis humanæ: neque minus quam illi gratiam Dei & Pacem conscientiæ in tuto collocarent.

SECTIO V.

Argumenta initiò allata diluuntur.

Ad I.

Non est ex se illicitum.

RESp. esse ex se illicitam Pacem, qualem desiderant Protestantes, satis demonstratum est ex cooperatione tum directâ, tum indirectâ cum hæresi, ex injuriâ Creatoris & veræ Religionis; ex violatione Officii & usurpatione potestatis non competentis, ex comparatione cum mendacio & denique sensu ac exemplo Pontificum, SS.PP. veterisque Ecclesiæ. Quàm *ergo illicitum est in necessitate fidem negare, blasphemare, pejerare, adulterari, tam illicitum est cujusvis necessitatis aut periculi obtentu talem Pacem confirmare aut extendere.* Regula Juris in oppositum inducta procedit de illis, quæ jure positivo aut humano, non naturâli & divino, sive secundum se prohibita sunt, ut exemplum Sabbati & jejunii ostendit.

Ad II.

Deus mala permittit.

RESp. Regiminis Divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertii. Nam etsi Dens peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur, peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine majoris boni; neque libertatem peccandi legibus firmat, aut ad peccandum provocat, vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur, nihil præterea contra officium supremi Domini & Moderatoris optimi

mi maximi committit, cum peccandi libertatem naturæ rationali, quam liberam fecit, relinquit: ad bonum præmiis provocans, à malo suppliciis absterrens, & nullâ in re potestatem incompetentem usurpans, qui quæcunque voluit, fecit in cælo & in terrâ. *His conditionibus si Cæsar & Status permittant hæresin, quam tollere non possunt, Divinæ gubernationis exemplo rectè se defendunt.* Ex duobus enim malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid quàm omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis vel ambigit, vel negat. Si verò *minoris mali electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundi cum detrimento animæ* non quæratur, & perdamus omnia, ut seruemus Dei gratiam. Ita faciendum esse nisi credimus, Christiani non sumus; & cum aliter facimus, Christianè non vivimus.

Ad III.

Zizania non evellenda.

RESp. I. Paterfamilias non prohibet absolutè ne eradicentur zizania, sed ne id fiat *cum periculo tritici*, id enim significat particula *fortè*. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere, teste S. Aug. l. 3. contra Parmenian. c. 2. & S. Th. 2. 2. q. 10. a 8. ad 1. Neque hujus rei *judicium pertinet ad Principes, qui etiam ipsi sunt servi, sed ad Patrem familias*, qui in terris non est alius, quàm Christi Vicarius sive Pontifex Romanus, ut notat Moldonatus in hunc locum Matthæi.

Resp. II. Vrgente licet periculo tritici, non aliam zizaniorum permissionem à Patrefamilias injungi, quàm *primi & secundi generis*, quæ ad pœnã conniveat, & intempestivè impedientes coërceat, non *tertii generis qua cooperetur* Id verba apertè significant: *sinite utraque crescere usque ad messem.* Non autem: spondete zizaniis absolutam impunitatem, vel publici juris autoritate ea in agros recipite, vel facite potestatem tri-

ticum opprimendi, vel ipsi in gratiam zizaniorum illud eradicate & zizania plantate; vel denique eodem pretio & loco utraque habete, & æquali cura custodite. Quæ omnia contra mentem & præceptum cœlestis Patrisfamilias, hæreticis, (qui præcipuè per zizania à SS. PP. intelliguntur) à Catholicis ejusmodi Pacem sancientibus, spondentur & præstantur.

Ad IV.

Vasa sacra vendi possunt.

REsp. I. Vasa sacra & quævis mobilia pretiosa Ecclesiarum, non solùm propter pauperes, captivos, ædificia templorum & cœmeteriorum; juxta cap. Aurum II. q. 2. sed *pari & majori ratione, propter necessitates Imperii & præcipuè Religionis*, confringi, conflari, & vendi posse ac debere; iisdemque ex reditibus quoque Ecclesiarum & Ecclesiasticorum (legitima tamen autoritate) subveniendum esse. Quod hisce annis liberaliter fecerunt Ecclesiastici Status in Imperio & imposterum quoque pro viribus, etsi valdè accisis præstare parati sunt.

Resp. II. Prædia, pagos, oppida seu ditiones Ecclesiarum ad redimendam Pacem hæreticis concedi non posse, *simul enim per Regulam alti scil. meri Imperii in Imperio receptam concedi deberet jus in animas*, Christi sanguine redemptas, ejusque baptismo initiatas, quibusvis vasis sacris pretiosiores. Neque enim loca subditis vacua cupiunt Protestantes, sed hisce seducendis vel maximè inhiant. Qua eadem ratione etsi Ditiones Seculares hæreditate, vel alio Juris titulo acquirant, pacto tamen illis permitti non potest, ut hæresin introducant, & subditos reformem. Quare absque gravi peccato Status Catholicus Imperii hæreticum ditionis suæ hæredem scribere aut eam illi vendere non potest; per Regulam Religionis alto scilicet mero Imperio cohærentis, tradit eo ipso jus hæresin introducendi, & subditos pervertendi.

Secus est, *si Ecclesia, Monasterium, Pagus, oppidum situm in ditione hæreticâ Principis hæretici non habeat merum imperium,*

nec

nec immediatè Imperio subjaceat: hæc namque urgente gravi necessitate vel causâ videntur (autoritate tamen Ecclesiasticâ) concedi, aut vendi posse hæreticis; cum enim hu locus nec tale quidem jus, quale PAX Religionis tribuere fingitur, in Religionem competat, nullum hæreticis traditur.

Ad V.

Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.

REsp. Episcopos alioſque Ecclesiasticos obligationi suæ & Fundatorum intentioni satis facere, si legitima autoritate, & causâ exigente, thesauros Ecclesiarum partemque fructuum, promtè & liberaliter in subsidium Religionis & Imperii conferant. Ad Ecclesias verò & animas hæreti ac diabolo seu tradendas, seu prodendas, non solum non obligari, sed salvâ obligatione & Fundatorum intentione in id consentire non posse.

Ad VI.

Necessitas facit omnia communia.

REsp. Bonorum *temporalium divisionem & appropriationem ex jure humano procedere, non autem curam & salutem animarum.* Quare necessitas illas communes non facit, ut cum pagis, prædiis, oppidis in discrimen fidei & salutis conjici possint. Neque jura Religionis & Ecclesiæ, quibus subditi & bona Ecclesiarum subjiciuntur, potestas Secularis intra sphæram suam continet; ut adeò in illum recidere non possint, sub quâ nunquam fuerant. Quis fructus sequatur ex eo, quod sub pallio necessitatis publicæ bona Dei attrectentur, & in redemptionem Pacis impendantur, docet dolenda proximè elapsi sæculi experientia. Et notat Matth. Tymp. in Speculo boni Magistratus sig. 71. argm. 1 § Eadem inhumanitas circa fin. Et argm. 6. Licet hæretici Catholiciique nominales à multis annis quidquid potuerunt detraxerint Ecclesiasticis, eoque de facto contra data olim privilegia gravarint, quod tamen

nunquam profuerit Reipublicæ vel Regno invasisse jura Ecclesiæ. Etsi enim (inquit) videatur ea in re aliquid commodi accedere statui politico, illud tamen postea magnis plerumq; compensatur cladibus. Permittit enim Deus excitari bella intestina & externa, quibus Regiones vastantur, ærarium exhauritur, negotiatio avertitur, & pristina gentis gloria obscuratur. Adeò ut centies milliet plus damni accipiatur in pœna, quàm fuerit commodi in culpa. Hæc ille. Considerabimus fructus amarissimos Pacis Pragensis Anno 1635. Et Amnistiæ Ratisbonæ promissæ Ao. 1641. Quibus uti magna pars patrimonii Christi Protestantium importunitati cessit, ita à prostituentium Catholicorum armis omnis Dei benedictio receßit. Id quod Gallorum felices erga Imperium successus, Germanorum autem Mars retrogradus, & Francisci Alberti Saxonis, Lamboii, Francisci Melonii, Archi Ducis Leopoldi Wilhelmi, aliorumque ad Reinfeldam & Witten Veterum acceptæ clades; Prysachi, Vberlingæ, Villæ Theodonis, &c. amissio Archi Episcopatuum Moguntini Colonienßis & Trevirensis, Ducatus Julia censis; Episcopatuum Monasterienßis & Paderbornensis, devastatio luculenter demonstrant. Qui rerum successus si cum S. Scripturæ sententiis & exemplis conferantur, evidens pector Christiano divinorum judiciorum ordinem piè contemplanti, Deo summoperè displicere Catholicorum in prodigendum Ecclesiæ Patrimonium pronitatem.

Ad VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

RResp. neque cedendum esse Ecclesiasticis cum læsione conscientiæ, neque Pacem desperandam Germanis. Quam enim mundus dare non potest, aut non vult, Deus dabit, si magnâ divini auxilii fiducia quæramus imprimus regnum Dei, & justitiam ejus. Vel enim concedet victoriam de hostibus, vel animos inflectet ad Pacem non iniquam, si ab ejus legibus deflectere, ejus Patrimonium ac Honorem prodigere cessemus.

Vin-

Vin' recens exemplum? Cum ab uno alteróve menſe Summus Pontifex concluſum Francofurtenſium Deputatorum ſuper anticipatione effectus ſuſpenſivi Amniſtiæ & proſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum improbaſſet, cùm S. Cæſ. Majeſtas eidem concluſo ſubſcribere non minus conſtanter quàm piè renuiſſet, cùm Electores Catholici re paulò accuratius diſcuſsa, menteque mutata in favorem Eccleſiæ propendere ac cauſam Piarum Fundationum S. Cæſ. Majeſt. conmendare animum induxiſſent; Mox ipſa Catholicorum fortuna in melius mutata & ad Düttlingam 24 Novembris, Anno Chriſti 1643 inſigni miraculo contra copias Gallo Weinmarianas nobiliſſima Victoria parta fuit. Quaſi intento digito Catholicæ Reipublicæ Capitibus oſtendere voluiſſet Deus, ſucceſſus armorum feliciores non à proſtitutione ſed à defenſione Eccleſiarum pendere. Id quod prudenter notavit Cardin. Baron. Annal. Eccleſiaſt. lib. 5. ad Annum 432. n. 3. Dum ſcribit: Eccleſiæ Religionis & jurium Eccleſiaſticorum defenſionem ſolidum eſſe ad ſuſtinendam Imperii molem fundamentum ac ſuſtentaculum, quo ſi careat, corruat neceſsè eſt. Idque cum in aliis mundi proceribus, tum evidenter in Regibus Francorum oſtendi poſſe ait. Quamdiu enim defenſores Eccleſiarum & rerum Eccleſiaſticarum vixêre Francorum Reges & Imperii Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alii, qui legibus, armis, multoque ſanguine bona Eccleſiaſtica illibata ſervarunt, felices illi fuerunt, eorumque hoſtes victi, jugo ſubmiſſi, nomenque Francorum ſumma gloria toto orbe diffuſum; ubi verò direptione rerum Eccleſiaſticarum, adverſus Deum conflatum eſt bellum, imbelles populi, Reges ſocordes, & obtuſa eorum facta ſunt arma. Vt pluribus exemplis oſtendit idem Baron. lib. 10. Annal. ad an. 545. num. 33.

Certe quantumvis Imperio neceſſaria & optabilis ſit PAX tamen facultatem Rempublicam mediis illicitis pacificandi & conſervandi, Deus nulli Principi aut Magiſtratui concesſit.

Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 16. v. 29: *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Nec S Paulus, quod scripsit: *non esse facienda mala, ut veniant bona.* Est bellum grande malum, scelerumque compendium, eoque deterius, quo diuturnius. sed non sicut cuneum cuneo, peccata peccatis pellere fas est; & præstat, vel maxima mala ferre, quàm minimum facere.

Ad VIII.

Bona intentio.

REsp. Pacem illicitam non magis excusari bonâ intentione, quam furtum animo dandi Eleemosynam, aut adulterium cum hæreticâ animo ipsam convertendi ad fidem. Inordinatio *quidem, & pravitas ejusmodi Pacis, per accidens se habet ad intentionem paciscentium, ut in omni peccato contingit*, teste S. Th. 1. 2. q. 72. a 1. *Nemo enim intendens ad malum operatur*, ait S Dionysius cap. 4. de Div. nomin. (mallet quippe fornicator, aut posatur abesse deformitatem culpæ à delectatione Veneris & potûs, quam quærit) *quia verò ejusmodi pravitas sive deformitas, per se conjungitur actui fornicationis, & in proposito conditionibus desideratæ Pacis*, ut demonstratum est: ideo bona intentio non excusat fornicantes, aut se inebriantes, adeoque nec ita paciscentes.

Secus est de justo bello, aliisque similibus. Mala enim his adjuncta, non solum *per accidens se habent respectu operantis, verum etiam operationis*, quæ ex se benè fieri potest. Sic bellum justum gerere, ex se non est latrocinari, prædari, libidinari: sed Rempublicam defendere, vel injurias & damna legitimâ autoritate vindicare, quod ad officium justitiæ pertinet. Pacem autem, qualem desiderant Protestantes, sancire, ex naturâ actus & objecti est cooperari hæresi, eam veræ fidei exæquare, usurpare potestatem non suam. Officium denique & jusjurandum violare, quæ non per accidens, sed secundum se sunt illicita.

Neque

Neque juvat hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quique hæresin maximè detestantur. *Est enim hoc quidem bonæ mentis indicium, quod non potest non laudari*, ut Cardinalis Hosius respondit Paulo IV. sed metus peccatum quidem minuit, non tamen tollit: neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mente detestatur, licet minus peccet, quàm si eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo sed verbis, negavit. Etsi igitur *Catholici cum Protestantibus juxta votum illorum paciscentes, animo hæresin non approbent: at re ipsâ tantum eidem concedunt exteriùs, quantum non nisi veræ fidei debetur, ideoq; peccant.*

Quod verò dicitur, multa in favorem Catholicæ Religionis hâc Pace contineri, est *excusatio in digna Christiano*, qui à Christo didicit *neque totius mundi lucrum cum detrimento animæ sive peccato esse quærendum*, & à S. Paulo, *non esse facienda malà, ut veniant bona*. Neque fas unquam fuit peccata peccatis compensare. Non absolvitur judice Deo adulter, qui eleemosynis, aliisque piis operibus turpitudinem exbusat, in quâ perseverat. Nec denique favor Religionis est solidus, cum hæresis illi æquatur, aut in periculum tantò nocentiùs, quantò speciosiùs, conjicitur.

Ad IX.

Exempla.

§. I.

De SS. Joanne Papa I. & Anathasio.

RESP. Gravissimam injuriam fieri *S. Joanni Papæ* inde evidens est, quod calumniam refutat epistola ab ipso ex carcere scripta, quam allegavimus RAT. 8. § 2. & Gregorius Turonensis ejus seculi scriptor, cap 40. de gloriâ martyrum; asserens, *Joannem cum ad Episcopatum venisset, summo studio hæreticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicâsse*

Neque.

Neque Theodoricus eum carcere & morte multâſſet, ſi Arrianis Eccleſias, uti injunxerat, impetrâſſet. Suſcepit Joannes juſſu Regis Legationem pro Arrianis eodem animo, quo Mater Machabæorum 2. Machab. cap. 7, *Antiocho Rege ſuadente, ut filio adoleſcentiori, qui ſolus carnificinæ fratrum ſupererat, fieret in ſalutem, per ironiam ſe obſecuturam promiſit: idq; mox gravisſimis ad conſtantiam monitis re ipsâ demonſtravit.*

S. Athanaſius Conſtantino viribus impar, ſapienter dixit ſe Arrianis templum Alexandriæ conceſſurum, cum præſertim inde majus bonum ſperaret, ſi viciſſim pro Catholicis templum Antiochiæ obtineret: quod advertentes Arriani, permiſſionem templi Alexandrini libenter remiſerunt. Neque, ſi hæretici ex aliquâ Urbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præjudicium Religionis illis tribuatur, illicitum erit, *aliquod templum exercitio hæreſis aſſignare*; ubi minori cum Catholicorum periculo & exacerbatione ſuâ, quàm in privatis ædibus, conveniant: *Locus enim valdè extrinſecè ſe ad peccatum habet; ideoque licere meretrici aut uſurario domum locare* cum aliis tenet Sanchez tom. 1 lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 20. Quod de templo quoque, exemplo Athanaſii inductus, concedit Malderus, 2. q. 10. a. 11. eo nominatim caſu, *quando hæretici multa loca munita occuparunt, in quibus & ex quibus multos corrumpunt: admiſſuri in illis exercitium Religionis Catholicæ, ſi aliqua ipſis vicisſim Eccleſia relinquatur* Quod non magis illicitum eſt, quàm cum urgente neceſſitate templa in propugnacula, vel alios profanos uſus convertuntur.

Exemplum Concilii Baſileenſis, ut nihil dicamus de ejus authoritate, plus non probat, quàm ſimplicem tolerantium ad breve tempus. Neque enim exercitium ſuæ ſectæ Huſſitis ſine gravi incommodo Baſileæ tum negari potuit.

§ II.

De Imperatoribus.

Reſp. Imperatorum *antiqua exempla gratis produci.* Nam qui

qvi libertatem Religionis permiserunt, vel Christiani non erant, ut Julianus Apostata, vel Hæretici, ut Constantius, vel necessitate aut incautis consiliis impulsi, eam aliquamdiu concesserunt, ut Jovianus, Gratianus, Theodosius, Honorius. E quibus Gratianus & Theodosius unà cum Valentiniano, *seu necessitate cessante, seu facti pœnitentes*, severissimas postea leges adversus hæreticos tulerunt, quæ hodieque extant, c. de Summa Trinitate. c. de hæreticis, l. 2. Idem ab Honorio factum supra memoravimus sect. 4. rat. 8. §. 3. Qui perpetuam cum hæreticis Pacem, eaqve ratione quam hodie desiderant Protestantes, pepigerit, Imperator aut Princeps Catholicus, ante Tractatum Passaviensem & Pacem Religionis nullus potest commemorari. Hæc Pax fax fuit mali exempli prælucens aliis Principibus, qui hac in re deliquisse, aut delinquere videntur.

Ferdinandi I. & Catholicorum Statuum in sancienpa Pace Religionis consilium comprobare, nos *prohibent lacrymæ*, quas teste Cardinale Hosio, *idem Ferdinandus, cum ei subscriberet, fudit*; Argumenta itidem ex certissimis Scripturam ac Theologiæ, principiis, SS. Patrum, Veterum Catholicorum, Summorum præcipuè Pontificum autoritate stabilita, à nemine vero hucusque convulsa.

Nuncium Apostolicum à PP. Societatis JESU persuasum Anno 1566. confirmationi Pacis Religionis non contradixisse, vanum est. Protestationis enim coram Notario & Testibus factæ exemplum authenticum supra Rat. 8. §. 2. allegatum, in Archivio Episcopatus Augustani extat. Fortè id effecerint, ne publice Protestatio fieret cum perturbatione & scandalo; Id enim verba Nuncii supra allata innuunt. Si plus dicti Patres suasere, solâ temporum necessitate sibi proposita, Pacis autem qualitate non explicatâ, nec intellectâ, falli potuerunt. Minus verisimile est, *Petrum Canisium beatæ memoriæ virum*, huic Paci patrocinatum: cum enim is Cardinali Ottoni & Episcopo Augustano unicè carus, & Magistri Spiritualis loco fuerit, uti-

que ei persvasisset, ne Protestationi Ann. 1555. tam constanter sisteret, & toties tum in aliis, tum in illis ipsis Comitiis Anno 1556 eandem aut ipse repeteret, aut per suos Legatos repeti mandaret.

Pax Pragensis, quatenus certis annis definitur, improbanda non est. Quatenus autem Pacem Religionis, præcipuè verò Regulam alti scil. meri Imperii confirmat, & hæreticis quosdam Episcopatus, seu bona Ecclesiastica à Catholicis recuperata, restituit, aliasque conditiones hæresi cooperantes vel usurpationem potestatis non competentis continet, nostro suffragio absolvi non potest. Ob quas easdem causas nec de Amnistiâ super concluſa mitiùs nobis sentire fas est: utpote in qua PAX Religionis & Pragensis quoque stabilitur, aliaque statuuntur, quæ veteri Christianæ Theologiæ repugnare, neque esse potestatis Imperialis demonstratum est. Theologi consultores quicunque fuerint veniam dabunt, si illorum opinationes SS. PP. Veterum Catholicorum, & Pontificum maximè autoritati, receptisque Theologiæ principiis, postponantur.

Etsi credimus non paucos, præsertim exteros, aliter pronuntiaturos, si Pacis Religionis, & conditionum tum illi tum nuperæ Amnistiæ insertarum, plenam solidamque notitiam haberent. Certè agi solum de sex scilicet Wirtenbergiæ monasteriis, ut aliqui jactant, est glaucoma, quod suis alienisque oculis objiciunt, qui verum nec ipsi videre nec ab aliis videri volunt.

Quod ajunt Amuistiam esse instar potionis amaræ, quâ Religio & Ecclesia, ne penitus intereat corpus mysticum conservari debeat, minimè nobis persuadent, hanc seu similitudinem seu Parabolam esse Evangelicam. SS. Patres, Doctores Veteres, Summosque imprimis pontifices, quos Religionis Ecclesiæque vulneribus curandis Deus semper adhibuit, credimus esse medicos tam peritos, ut nihil causæ sit, cur aliis credamus esse pharmacum quod isti dicunt esse venenum. Non invidissent sancti Viri & Summi Pontifices sanitatem Provinciis

ciis hæresi infectis, si ejusmodi Pacem judicassent cum salute paciscentium posse consistere.

Censuerunt illi, censentque hæc fœdera esse illicita, Divinisque legibus adversa. *Afferant aliquam causam idoneam hesterni, hodiernique Theologi, quæ conscientiæ tranquillandæ sufficiat cur in re tam gravi ipsis potius credere debeamus quam Sanctis Patribus, supremisque à Deo constitutis Religionis moderandæ, conservandæque Antistitibus.* An quia aliter Religio conservari nequi? Atqui juxta doctrinam Christi præstat totius mundi lucrum negligere, quàm illicitum quid admittendo animæ detrimentum incurrere. Nec speciem veri habet, Deum aliis potius, quàm illis, quos Ecclesiæ suæ dedit Doctores ac Pastores, legitima Religionem conservandi consilia inspirasse. Nec Ecclesia ideo peribit, si peccatis nostris exigentibus, Deus à Germanis auferat Regnum suum, & det genti facienti fructum illius. Non transiliamus limites à SS. Patribus, Summisque Pontificibus constitutos, & si vires nostræ non sufficiant, curam Religionis Ecclesiæque conservandæ ei relinquamus, qui dixit, neque portas inferni adversus eam prævalituras.

Non deniq; culpam in illos conjiciamus, quorum licet facta aut consilia forent alit quàm deberent, quæcunq; tamen dixerint nobis licere vel non licere, facienda vel non facienda esse, Christus præcepit. Etsi de illis, quorum potius siniſtram suspicionem quàm notitiam habemus, quæque non sunt nostri fori, judicare temerarium est. Emendemus errores à nobis commissos, culpasque in Pace & Bello contractas, & apparebit nos reos esse, non illos, qui remedia adhibuerunt quæ potuerunt, alia adbibituri, si locus & spes fructus fuisset.

§. III.

De Judæis, Usuris & Lupanaribus.

RESp. Judæos ideo tolerari ab Ecclesia, *quia testimonium fidei nostræ habemus ab illis*, licet fidei hostibus, *& quasi in figura per ritus suos nobis representant quod credimus*, ut docet S. Th.

I 2.q.10. a.11. Accedit eos in fine mundi credituros, ut vaticinatur Oseas cap.3. & ex illo tradit S. August. lib.18. de Civ. cap.28. ideoque hanc etiam ob causam rectè tolerari, cum in magnam Christianæ Religionis gloriam illud sit redundaturum. Denique est hæc *simplex solum tolerantia*, absque omni illicitâ cooperatione. Neque enim Judæi æquantur Christianis, sed habentur infames: neque ulla fit ipsis potestas Christianos pervertendi, aut Christianis ad ipsos deficiendi: neque alia conceduntur, qua hæretici sibi concedi volunt.

Usuras Judæis præsertim, licite permitti; tum ut alii ab hoc peccato velut infami abstineant, tum ut pauperes Christiani habeant unde in necessitate mutuum sumant, credimus cum S. Th.2.2.q.78.a.4. *etsi fatendum sit graviter sæpè in hac permissione peccari*, cum legitimarum causarum defectu, tum immoderatas usuras tolerando, tum denique lucrum injustum inde quærendo. Est verò latum discrimen inter Pacem, de qua agimus, & hanc permissionem si legitimè fiat. Directe enim non permittitur usura Judæis, sed mutui acceptio Christianis; quæ uti & ipsa mutuatio, est actus secundum se licitus: *etsi usurarius sumat inde occasionem peccandi, ex malitia cordis sui. Inducere quidem hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est. Quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum.* ait S. Th. l.cit. Sic S. Augustinus Epist. 154. Publicolæ respondit: *licere uti juramento ejus, qui jurat per falsos Deos. Id enim faciens, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia juravit, sed pacto ejus utitur bono, quo fidem servavit.* Diversa ratio est Pacis, quam Protestantes volunt. Hæc enim, cum sit cooperatio cum hæresi, exæquatio ejusdem cum Religione Catholica, impulsio animarum in ruinam spiritualem: usurpatio juris non sui, volatio officii, &c. non est usus peccati alieni, sed commissio proprii.

Lupanaria ad retrahendos homines à gravioribus flagitiis, quæ aliâs quibusdam locis invalascerent, tolerantur absque omni cooperatione illicitâ. Neque enim libidini detrahitur infa-

infamia, nec frequentantibus lupanaria portæ patent dignitatum; neque libertas datur quenquam ad ea compellendi, aut integras Civitates, Oppida, Ecclesias, Monasteria in lupanaria convertendi. Sed ne omnia inficiant, aliquæ areæ conceduntur, fimetis & haræ porcis, impositio etiam tributo, ne magis alliciat gratuita peccandi licentia; neqve impediuntur parentes aliique, quò minùs liberos inde avocent, aut delinquentes castigent. Multa ad hæc præclarè sunt instituta pluribus locis, quæ ad lupanarium odium & emendationem delinquentium valeant, ut domus erectæ pro pœnitentibus, &c. secus se habet PAX quam suspirant protestantes, ut ex dictis manifestum est. Ut verò in permissione lupanarium graviter aliquando peccari posse, aut solere non negamus; ita ejusmodi permisionem, si quidquam cooperationis habeat, non excusamus.

§. IV.

De Consilio Reboami, 3. Reg. 12.

RESp. Calumniam esse, non exemplum. Juvenes & Collactanei consilium Roboamo dedere, cui obsecutus se & totum ferè Regnum perdidit; *non Religionis, sed stultæ in subditos severitatis causa.* Consilii de non sancienda Pace cum hæreticis, qualem ipsi extorquere volunt, autores sunt, Christus magni Consilii Angelus, S. Paulus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, universæ Africæ Episcopi Catholici, S. Joannes Papa I. & Martyr, Paulus III. Paulus IV. Pius V. Urbanus VIII. Quorum autoritatem juvenilis consilii stultitiâ infamare nefas judicamus. Suffragantur ad hæc nobis ab antiquo piissimi Impp. & semel atque iterum universi Catholici Imperii Status; denique Catholici Status Hungariæ, omnesque Theologiæ Veteris, solidæque sectatores.

Injuria ve. ò est, infelices successus, præsertim ab Anno 1630. his Theologis adscribere. Non *magis illorum rei sunt, quam Christus furtorum, proditionis, & suspendii Judæ, quia ad Consilia Exangelica & Apostolatum illum vocavit.* Quid juris Religio Ca-

tholica habeat in Imperio, quod Officium Cæsaris sit in eo jure asserendo tuendoque, liberè & solidè exposuerunt. Non hinc fluxerunt infausti successus, sed ex victoriarum abusu, divitum luxu, perfidiâ, & partim desidiâ vel imperitia, pulcherrimarum occasionum neglectu, commeatuum rerumque necessariarum nulla provisione, quæ res plures exercitus consumpserunt, quàm hostis cædere potuisset; licentia item militari nec lecta nec audita, per quam justissimum bellum in publicum latrocinium degeneravit, aliis denique causis, quas non perinde explicare atque cogitare fas est.

Ad X.

Sententiæ probabilitas.

Resp. I. *non esse sententiam, sed opinationem*, nullâ ratione Theologica, neque auioritate legitima, sed præjudiciis ex Pace Religionis conceptis male nixam Rationes allatas veritatis larva detracta falsitatis convicimus Autoritatem, si qua obtenditur, elidit autoritas Summorum Pontificum, SS. Patrum & DD. qui ante Pacem Religionis scripserunt. *Neque postea quisquam Theologus produci potest*, qui conditiones ejusmodi Pacis examinaverit & scripto publico probaverit. Præcipuas egregiè refellit *Cardinalis Hosius* in suo ad Paulum IV. responso, quem secutus est *Antonius Possevinus* in Ep. ad Stephanum Regem Poloniæ. Libertatem Religionis Statibus Imperii in dicta Pace concessam, veluti illicitam operosè refutat Franciscus Burkardus Archi Episcopalis & Electoralis quondam Coloniæ Cancellarius, in Autonomia Germanica, to. 2. quæst. 3. principali.

Eandem Pacem Religionis damnat, ejus nomine licet non expresso *Martinus Becanus* in Manuali ejusq; Compendio lib. 5. cap. 16. num. 1. *Hac duo distincta sunt* ait, *I. Princeps Catholicus concedit suis subditis ut fiant hæretici, vel introducit hæresin, vel introductam confirmat & ratam habet, vel alio quocunque modo positive in eam consentit, & cooperatur. Princeps Catholi-*

cus

cus concedit suis subditis, ut fiant hæretici, vel introducit hæresin, vel introductam confirmat & ratam habet, vel alio quocunq; modo positivè in eam consentit & cooperatur. Princeps Catholicus solum permittit, seu tolerat hæreticos in sua Provincia. Primus nullo modo licitum est: quia hæresis est peccatum, & quidem majus peccatum, quàm furtum, homicidium, adulterium. At Princeps nullo modo potest concedere suis subditis, ut fiant fures, homicidæ, adulteri, neque potest introducere ejusmodi peccata in suam provinciam, neq; introducta confirmare & rata habere, neque alio quocunque modo positivè in ea consentire & cooperari. Ergò idem de hæresi dicendum est. Nemo dubitat. Atqui per Pacem Religionis conceditur Statibus & subditis Imperii, ut autoritate Juris publici fiant hæretici: per eandem Cæsar Statusque Catholici Protestantes in hæresi introducenda juvant: ejus introductionem ratam habent; aliisque modis positivè in eam consentiunt & cooperantur, uti hacteuus demonstratum est. Ergò *secundum Becanum nemo dubitat*, Pacem Religionis, & quamvis ei similem, quaque illa confirmatur, esse illicitam, Neque hic autor in contrarium nisi injuria allegari potest. Altera enim permissio, de qua postea agit, quamque admittit, non est nisi primi & secundi generis.

Tannerus cum neque affirmet, neque neget, pro neutra parte stat. Alii autores qui permissionem hæresis, ejusque permissionis pactum licitum putant, nullâ adhibitâ distinctione, vel de permissione primi & secundi generis intelligi debent, *vel hâc distinctione non observata in errorem lapsi sunt.*

Quod contigit autoribus compositionis Pacis. Non attentâ enim multiplici cooperatione, aliisque vitiis, quibus PAX Religionis laborat, eam specie licitæ permissionis decepti, excusarunt: *inter Jurisconsultos tamen non Theologos nomen suum professi.* Sed nihil præsidii est in hoc libro, tum quia præcipuus autor, testimonio fide digno, hanc pro Pace Religionis sententiam ante mortem retractasse comperitur; tum quia alius Vir præstantissimus, ejus laboris pars non pauca, asserit, sibi semper visum

visum : *non posse perpetuitatem Ecclesiæ Catholicæ propriam, hæresi per pactum perpetuum & absolutum quale in Pace Religionis continetur licitè concedi*; tum denique, quia ob aliquot ejusmodi de memorata Pace assertiones *gravem ii Liber Romæ censuram subiit*, teste Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. Sebastiano, Episcopo Adramytteno, Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Suffraganeo & Canonico, qui Romæ fuit Legatus Illustrissimi Episcopi Augustani, cum is liber eò perlatus est.

Resp. II. Etsi mens nostra non sit, seu Principes seu Theologos contrarium sentientes condemnare; utpote quos *credamus bonâ fide in re tam arduâ, neque satis antehac explicata, excusari posse, sciamusq; gloriosum Martyrem Cyprianum cum suis collegis* de Baptismo Hæreticorum longè aliter sensisse, quàm Fides Catholica permittat, *eumque hunc quasi nævum candidissimi sui pectoris cooperuisse ubere charitatis: dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis & copiosissimè defendit, & perseverantissimè tenuit vinculum Pacis*, ut ait S. Aug. ep. 48. Non possumus tamen, quæ grincipia juris naturalis ac divini à puero audivimus, & ex Scripturis, SS. Patribus, solidaque Theologia hausimus, non loqui, neque consulti aliter quàm secundum ea respondere.

Resp. denique III. Ea quæ adversus Pacem, quam desiderant Protestantes, protulimus ac respondimus, recte Scholastica dici, id est vere Theologica: ex propriis nempe Christianæ Theologiæ, quæ in Scholis tradi deberet, fundamentis, Scripturarum, SS. Potrum, Summorumque imprimis Pontificum sensu & exemplo derivata. Quæ cum seponuntur, quid Theologus ex Theologia producturus sit, aut quam Christianus conscientiæ regulam secuturus, non apparet.

Non sunt verò argumenta nostra convitio inanis speculationis, quo docentium, non suo vitio, Theologia sæpius infamatur, obnoxia. Hæc enim principia,

Non esse lucrum mundi quærendum cum detrimento animæ;

Non

Non esse facienda mala, ut veniant bona;
Non licere cooperari malo seu directè seu indirectè;
Non exæquandam esse hæresin veræ Fidei;
Non compellendum quenquam ad ruinam spiritualem;
Non usurpandam potestatem non suam, sive incompetentem;
Non violandum officium & Juramentum;
Non agendum frustratorie seu fallaciter;
Non discedendum à sententia Veteris Ecclesiæ, SS. PP. Summorumque Pontificum:

Praxin Christianæ vitæ & Theologiæ continent. Ab his qui recedit, praxin peccandi, & tandem à verâ fide deficiendi aut docet aut discit. Hæ sunt Theses, quas ad hypothesin (conditionum Pacis à Protestantibus desideratæ singillatim explicatarum) revocavimus: dicta principia per eas apertissimè violari demonstrantes. Quæ si in hâc materiâ contemnimus, nihil causæ est, cur in aliis ea sequamur.

Nec quisquam dixerit: hæc si sciant Protestantes, nullam Pacem inibunt. Istud enim ipsum fidei & Catholicæ veritatis profitendæ præceptum, ejusq; implendi tempus est, ut cùm inimici Crucis hęresin dignitate, defensione, libertate, perpetuitate veræ fidei exæquari volunt, eaque in ejus contemptum postulant, quæ eidem adversari sciunt, constanter abnuamus.

Certè Lutherani & Calviniani Principes, non credunt Religioni Catholicæ libertatem, qualem ipsi postulant pro suis sectis, à se in suis ditionibus salvâ conscientiâ ullo casu posse permitti. Quod sapienter in sua protestatione Status Catholici Hungariæ admonuerunt. Quo autem jure nos concedimus falsitati, quod ipsi negant veritati?

Nec denique causentur Pseudopolitici & Theologi hesterni, necessariam nunc esse ejusmodi Pacem Religioni & Imperio. Nihil necessarium vel utile putat Christianus, quod non idem sit licitum & honestum. Verissimè dixit Cicero lib. 3 de Officiis, *homines pervertere ea quæ sunt fundamenta naturæ*

eum utilitatem (imò & necessitatem) *ab honestate sejungunt.* Indignum est arbitrari, necessitatibus publicis, quas pleraque ipsi fecimus aut facimus, non posse aliter subveniri, quam dispendio Religionis, pro quâ omnia dispendia subeunda forent.

Fiat sanè *PAX*, sed licita: nullâ cooperatione cũ hæresi, nullâ caritatis Dei & proximi, nullà denique juris non sui, & officii sui violatione infamis. Noverint Protestantes sectam suam tolerari, Catholicæ autem Religioni æquâri non posse nec debere. Id nisi agimus, *non ita confitemur Christum coram hominibus; ut digni simus, quos ipse confiteatur coram Patre suo, qui in cœlis est.* Matth. 10. v. 32.

Nunquam deerit Divinæ Majestatis auxilium Principi, causam illius fideliter agenti. Quod si maximè tanta vis, tantus etiam esset furor multitudinis, ut sine discrimine ipse Christiani Regis Officio fungi non possit, si cuiquam alteri, sibi maximè Principes dictum existimare debent: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui & animam & corpus potest perdere in gehennam. Hunc qui timet, mortalium timet neminem, nam & defensum iri se illius protectione non dubitat, si sic illi visum fuerit expedire. Hâc si fortè minus defendatur, ut effugiat supplicia majora, non gravatim perferet minora; cum præsertim certo persuasum habeat, illa tantis æternæ gloriæ præmiis iri compensatum, ut eorum contemplatione suus cuique spiritus vilis esse debeat. His verbis Cardinalis Hosius, excusationem FERDINANDI I ex prætensâ necessitate condendæ Pacis Religionis petitam refutavit. Quibus nihil præterea adjiciendum putamus.

SECTIO VI.

Doctrina hactenus tradita de Pace cum hæreticis in certas Regulas redigitur.

Licet

REGVLA I.

LIcet urgente necessitate vel gravi periculo, præsertim Religionis, hæresin tolerare, dissimulando pœnam, & ea quæ ad ejus exercitium sunt necessaria concedendo. Quæ est permissio simplex, sive primi generis.

II.

LIcet ex eâdem causâ prohibere Catholicos, ne intempestivè hæreticos aggrediendo, vel lacessendo, se & Religionem in majus discrimen conjiciat. Quæ est permissio secundi generis.

III.

UTraque permissio licita est, vel ad tempus indefinitum, pro iisdem videlicet circumstantiis necessitatis duraturæ; vel determinatum pro certis annis, quibus moraliter certum putatur præsentes difficultates & circumstantias non desituras.

IV.

LIcet utramque permissionem dicto modo promittere, sive Pacis causâ pacto firmare: pro iisdem videlicet circumstantiis necsitatis aut periculi. Non est tamen necesse eas exprimere, cum per se insint tali Paci.

V.

LIcet & expedit hæreticis Pacis câusâ si aliter ea obtineri non possit, generalem Amnistiam seu oblivionem omnium injuriarum & maleficiorum concedere, quæ occasione belli contigerunt.

VI.

LIcet necessitate urgente Templa, Monasteria, aliaque Bona Ecclesiastica hæreticis concedere, si altum sive merum imperium illis non cohæreat, neque vi pacti permittatur Jus reformandi.

VII.

NOn licet ullo casu hæresis permissionem absolutè sive in perpetuum promittere aut paciscì. Est enim id hæresi indirectè cooperari, & permissio tertii generis.

VIII.

NOn licet sive in perpetuum, sive ad tempus, ullam conditionem Pacis inire, quæ includat cooperationem directam cum hæresi. Nam hoc vel maximè spectat ad permissionem tertii generis, & est multò magis illicitum, quàm indirectè cooperari.

IX.

NOn licet Pacis causâ hæresin recipere in Jus publicum, eamque Catholicæ Religioni æquare, in dignitate, libertate, defensione, perpetuitate, &c. Hæc enim suâpte naturâ ordinantur ad hæresin augendam, promovendam, stabiliendam.

X

NOn licet paciscì, ut Jus Religionem mutandi, vel hæresin introducendi, cohæreat alto sive mero imperio, neque concedere, ut vi talis pacti hæretici ditiones Catholicas, hæreditate vel alio juris titulo ad se devolutas, reforment.

XI.

NOn licet hæreticis promittere, vel præstare auxilium, aut executionem in hæresi introducendâ, aut Catholicâ Religione expellendâ; est enim participatio actionis criminosæ & sacrilegæ.

XII.

NOn licet subditos compellere ad hæresin amplectendam, vel injustam emigrationem, neque ad hæc autoritatem vel auxilium præstare; tum ob causam dictam, tum quia id est directè animas perdere.

XIII.

NOn licet Ecclesias & Bona Ecclesiastica hæreticis cedere, vel concedere, aut restituere, ut unâ cum alto sive mero imperio, habeant jus introducendi aut reducendi hæresin, sive reformandi, ut loquuntur. Est enim hoc positivè animarum perditioni cooperari.

XIV. Si

XIV.

SI quidquam Bonorum Ecclesiasticorum hæreticis Pacis causâ concedi potest, absque autoritate & ratihabitione Summi Pontificis id fieri non debet; est enim alioqui usurpatio potestatis non competentis.

XV.

NOn licet eandem libertatem, quæ perperam concessa est Confessioni Augustanæ, seu Lutheranismo, concedere Calvinismo; cum enim sit hæresis specie diversa, multoque deterior, nova injuria inferretur Creatori & veræ Religioni, hæcque in majus periculum conjiceretur, &c.

XVI.

NOn licet ea absolutè & in perpetuum hæreticis promittere, quæ cum obligatione Officii aut Juramenti pugnant: est enim crimen perfidiæ & perjurii.

XVII.

NOn licet Pacem hisce conditionibus, vel aliquâ illarum, quas illicitas esse demonstravimus, imbutam sancire, confirmare, extendere; quia id fieri non potest absque peccato.

XVIII.

PRincipes & Status Catholici, si multitudo suffragiorum prævaleat, culpâ liberantur, si assensum negent, vel contra protestentur. de cetero pacificè tolerent, quod impedire non possunt.

XIX.

SI Cæsar, Principes, vel alii Status Catholici, bonâ fide crederent, ejusmodi Pacem esse licitam, neque spes foret veritatis ipsis persuadendæ: sine fructu in periculum gravioris peccati conjici non deberent.

Cùm verò difficilè sit, bonâ fide tot principia Juris Naturalis Divini & Christiani, reclamantibus præsertim assiduè Summis Pontificibus, ignorari, viderint qui ignorant, & caveant, ne ignorentur ab eo qui nihil ignorat. Vt verò demus talia sine culpâ ignorari, aut non expendi à Principibus, at ægrè se purgabunt

gabunt Theologi. Quorum labia nisi custodiant scientiam SS. Patrum, Doctorum Veterum, Summorumq; in primis Pontificum verbis, factis, adeoq; decretis consentaneam, periculosè, quantumvis bonâ fide, Principes legem Domini exore eorum requirunt. Sed eodem finiamus Epilogo, quo S. Augustinus librum de Perseverantiâ clausit.

Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, à cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta, considerent: ne fortassis & ipsi errent. Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solum doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco. Et hoc per Ecclesiæ doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus veniat, dignenturq; nôsse, quod scribo.

Omnia ad majorem DEI gloriam.

HER-

HERMANNI CONRINGII

ANIMADVERSIO

IN BULLAM

INNOCENTII XPAPÆ.

Qua utrumque pactum Pacis Germaniæ, & Monasterienſe pariter & Oſnabrugenſe, irritum reddere ille eſt conatus.

HERMANNI CONRINGII

ANIMADVERSIO

IN BULLAM

INNOCENTII X PAPÆ.

Qua omnimodæ pacturæ Pacis Germanicæ, & Mo-
nasteriensis pactis & Osnabrugensis, irritum
reddere illicitè conatus.

ANIMADVERSIO IN BULLAM *INNOCENTII X PAPÆ.*

Caput I.

Argumentum eorum qua proponuntur hoc libello. Simul docetur: fas esse homini, quamvis Catholico Romanensi, salva Fide sua, Bullas Papales interdum non observare, imo rejicere ut vitiosas.

EXaminaturi Bullam Innocentii X Papæ, qua ille Articulos quosdam ejus Tractionis. qua anno hujus seculi post quadragesimum octavo Pax Germaniæ restituta est, nullitatis damnavit, *primum* in illius insolentiam & noxam, *inde* in ejus iniquitatem animadvertemus.

Occupabitur autem *Prior* quidem Animadversio in eo, ut demonstremus, Bullam illam, quamvis non foret iniqua, per se tamen non necessariam, non utilem, sed publice privatimque perniciosam esse; *Alterâ* manifestum fiet, principio in communi, deinde speciatim magis, illam ab omni equitate & justitia esse alienam.

Prius vero hoc quam agamus, forte haud abs re fuerit, si nonnihil preparemus animos eorum qui studio pietatis abrepti, nefas arbitrantur & impi-

um facinus, Pontificis Romani Bullam aliquam censuræ subjicere. Qui sane ita sunt persuasi, abhorrebunt haud dubie à libelli hujus lectione, imo omnem hanc operam meam superstitioso præjudicio damnabunt, nulloq; facto examine eam detestabuntur. Ut igitur & hi non sese imposterum subducant veritatis inquisitioni, removebimus ante omnia, saltim paucis tamen, pro instituti ratione, illa quæ animos, alioquin probos rectos & prudentes, tenent hac in re impeditos.

Sunt autem illa nisi fallor, nihil aliud quam superstitiosæ quædam de Romano Pontificæ opiniones: quod nimirum ille falli aut errare nequeat, quod illius dicta factaque nulli sunt humano judicio obnoxia, quod denique omnia illius quantumvis gravia, imo iniquissima, ferri habeant humillima patientia. Et verò isthæc omnia pridem sanctè credi & observari Pontifices voluisse, cum alias constat tum abunde loqvuntur ipsa illorum Canonici juris decreta.

Simpliciter sane, & citra omnem exceptionem, Bonifacius VIII in cap. *Licet*: De Constitut. in Sexto, affirmat: *Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere.* Quem secutus Baronius in epistola ad Philippum III Hispanum, non dubitavit, sua contra Siculam monarchiam disputata, qvum essent à Papis approbata legi autem vetita

tita a Regiis miniſtris, hiſce verbis propugnare: *Noſcant laici homines, quando indecore, non ſine offenſa Catholicæ veritatis, Laica manus, clavem ſcientiæ, quam ſolius eſſe Petri Catholica profitetur Eccleſia, arripuerit, ut judicet atque damnet ſcripta, juſſa imperata, & calculo comprobata Romani Pontificis: cujus eſt auctoritatis ſolius, judicare probare vel contemnare cujusvis ſcripta, præſertim* Eccleſiaſtica.

Arrogant porro ſuos actus haberi velle Papas, liquidem eſt, ſaltim ex cap. *Si Papa* diſt. XL. Perquam enim magnifica ſunt verba: *Si Papa ſuæ & fraternæ ſalutis negligens, de prehenditur inutilis & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturos; Hujus culpas iſthic redarguere præſumit mortalium nullus: quia cunctos ipſe judicaturus, à memine eſt judicandus, niſi de prehendatur à fide devius.* Eadem ſonant aliquot capitula â *Patet profecto* usque ad *Nunc verò* Cauſ. IX queſt. 3. Eſtque hoc axioma Romanæ Curiæ usque adeo acceptum, ut ſuperiore etiam ſeculo, anno nempe 1558, Paulus IV in Bulla, quam de Hæreticorum ſchiſmaticorum eorumq; fautorum pœnis promulgavit & ſuo Septi-

mo Decretalium libro inseruit Petr⁹ Mattheus, hisce fuerit verbis usus. *Nos considerantes, rem hujusmodi adeo gravem & periculosam esse, ut Romanus Pontifex, qui Dei & Domini nostri JEsu Christi vices gerit in terris, & super gentes & regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque, judicat, à nemine in hoc seculo judicandus, possit si deprehendatur à fide devius redargui.*

Simpliciter quoque obediendum esse quamvis iniqvis Paparum jussis & rescriptis, satis indicat illud Dist. XIX: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, ut que nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiastica rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta sede imponatur jungum, tamen feramus & pia devotione toleramus.* Eodem faciunt Distinctionis illius Capitula *Sic omnes, Enimvero* & *Nulli fas est*, aliaq; multa. Diu post Bonifacius VIII cap. *Unam sanctam Extrav. de Major. ac obedientia* ait: *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, decimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis.* Etiamnum vero hoc ita doceri à Curia Romana, certum est.

Quod si autem hæc ita sese habeant, fateor etiam ipsemet, non fore fas cuipiam homini Catholi-

co e-

co, etiam hanc Innocentianam Bullam non prono cultu venerari, nec ferre ullam in Bullam hanc Animadversionem. Verum enim vero etsi aliquot seculis strepuerit ejusmodi pronunciatis Romana Curia, multisq; terrorem incusserit, numquam tamen, vel in Occidentali hac Ecclesia, fuerunt a prudentioribus ad missa, sed salva etiam Romana communione, in alia plane, passim terrarum, ab integris interdum populis, est itum. Ut proinde, nihil horum de Fide esse, semper fuerit creditum; frustra subinde ringente Curia, utpote cujus etiam diræ contemptæ, & fulmina ceu bruta rejecta fuerint.

Et verò illud Bonifacii de *Scrinio pectoris Pontificio*, ubivis hactenus usu ipso explosum fuit: usqve adeo, ut totus Sextus Decretalium cui suum illud Bonifacius inseruit, in universo Galliæ regno nullam obtineat, cum plurimis suis bullis, Canonici juris auctoritatem. In ipso præterea illo cap. *Licet* de sententia ipse Bonifacius de Pontifice quolibet sic loquitur: *Quia locorum specialium & personarum singularium consuetudines ac statua (cum sint facti & in facto consistant) potest probabiliter ignorare.* Hoc ipso autem utiqve fatetur Papa, in scrinio pectoris se non habere jura omnia. Imo vero cum, ipsomet hic fatente, *qua sunt facti & in facto consistunt*, Papa possit ignorare: liqvet utiqve Papæ mandata omnia, qvecunqve saltim ver-

ſiculus circa ea quæ ſunt facti, non mereri irrefragabilem fidem. Qvod Baronius porrò dicit, omnem ſcientiæ clavem penes ſolum eſſe pontificem novum quid eſt & ante forte nunqvam auditum: tantum abeſt, ut tale qvid *profiteatur Catholica Eccleſia.* Regi utiqve Hiſpaniæ, omniqve latiſſime patenti ejus reipublicæ, quamvis ſinceriſſimæ Catholicæ creditæ, neutiqvam hoc fuiſſe perſuaſum, vel unum illud indicio eſt, quod ſpretis illis Baronianis, ut & Pontificum approbationibus, anno hujus ſeculi decimo Prorex Siciliæ Cardinalis Iannetinus Doria, Regium edictum quo Tomus Undecimus Annalium Baronii eſt proſcriptus, fecerit promulgari. Ne nunc urgeam illa, qvæ contra hoc Baronianum docte diſſeruit P. Paulus Servita Theologus Venetus in Conſilio de Inqviſitionis Officio recte conſtituendo cap. 29. Sed &, quî tale placitum ſit de fide, qvum nondum Fidei dogmatibus ſit adſcriptum, Pontificem extra Concilium indefinitionibus fidei eſſe infallibilem?

Neutiquam porro veriſimile eſt, Bonifacii martyris eſſe illa verba qvæ illi adſcibit Gratianus. Tutò ſane huic credi non poſſe notum eſt, & oſtenderunt ipſe Cenſores Romani, cum primis verò Antonius Auguſtinus libro Emendationum, & Stephanus Baluzius in doctiſſimis Notis. Nec congruit ſtilus cum Epiſtolis Bonifacii Serrarianis. Arguunt autem

autem illa verba ſpiritum Pſeudo Iſidoriani voluminis artificem; quem tamen fateor videri ex Bonifacii ſchola prodiiſſe.

Jam & judicio nulli eſſe obnoxium Papam, niſi qvando ille hæreſi eſt infectus, nunqvam fuit toti Catholicæ Eccleſiæ perſvaſum, multo minus inter Fidei aſſerta numeratum. Utiqve enim, ut vetera taceam, coram Carolo Magno adhuc Patricio accuſatus Leo III purgare ſeſe coactus fuit juramento: ejusdem cauſam in judicio Romæ expendi fecit Ludovicus Pius Caroli filius. Otto Magnus Joannem XII & Benedictum V, Henricus Tertius tres Papas de ſolio dejecit per ſententias pronunciatas in Conciliis Epiſcoporum, nemine qvoqvam Catholico tum repugnante, imo nemine non laudante. Non dubitavit porrò Concilium Conſtantienſe, Baſileenſe, & Piſanum damnare aliqvot Papas & deponere conſtitutis judiciis. Qvin imo decretum tunc fuit, tanqvam fidei dogma æſtimendum eſſe: qvod concilium ſit ſupra Papam, ſive judicio Concilii omnem Papam eſſe ſubjectum. Sed & non ſolius hæreſeos nomine Papam eſſe judicio obnoxium, usqve adeo olim placuit Catholicis tantum non omnibus, ut centeſimo ſtatim poſt Gratianum anno Joannes Semeca ſive teutonicus, Decreti gloſſator, ad ipſum illud Capitul *Si Papa*, non dubitaverit docere, qvod

non

non solum pro hæresi sed etiam pro quolibet notorio crimine, ut *Simonia*, *adulterio*, & hujusmodi quovis alio, si admonitus sit in corrigibilis, *ut ex eo scandalizetur Ecclesia*, possit Papa judicari imò deponi. Non me fugit haud defuisse, qui hanc Glossæ doctrinam improbant, ut Antonium Florentinum Parte IV Summæ major. tit. VI §. 4. & qvem ipse laudat petrum Paludanum alioque Curiæ addictos. Qvando tamen in pretio pridem fuerit a Romano-Catholica Ecclesia dogma illud habitum præstat discere ex testimonio uno juris omnis longe peritissimi Doctoris Philippi Decii. Cuj° *Cons. 151. n. 4. col. 1.* hæc verba sunt. *Quando Papa est incorrigibilis in aliquo notorio delicto, pro quo Ecclesia scandalizatur, Glossa interminis in C. 51 Si Papa 40 dist. tenet, quod Papa accusari possit. Et de illa Glossa maximum fuit factum fundamentum contra* Eugenium *Quartum in Concilio Basileensi. Et illa Glossa communiter tenetur per omnes: ut Abbas dicit in c. significasti de elect. & in disp. Episcopus & quidam rector. Ubi inquit, quod totus mundus approbat hanc Glossam. Et illam Glossam pluribus rationibus comprobat Ludovicus Romanus in Cons. 523.* Idem Verò docet etiam Cardinalis Zabarella *tract. de Schism. n. 20* Cardin. Jacobatius *l. 3. de Concil. art. 1. n. 170.* & seqq. Jason *Consil. 95. requisitus col. 4.* Lepidè Baldus *in Cap. Olim*

lim circa fin. *Extr. de Reſer.* ſcribit: *Contra Papam ſua poteſtate abutentem primò utendum eſt verbis*, (h. e. precibus & monitis) *ſecundo verbis* (h. e. minis) *tertio lapidibus; quod ubi non ſufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præſidium.* Omnes qvos modo adduxi fuere non docti tantam ſed etiam καθολικώτατοι: nemo autem paſſus eſt ſibi perſvaderi, ob ſolum hæreſeos crimen poſſe Papam judicari. Eſt autem merito qvàm maxime hoc qvoq; mirandum, qvod Papa poſſit hæreſi infici, & hoc nomine ſit judicio humano obnoxius; ſi ille vice Chriſti fungitur in hiſce terris, imo ſi eſt Deus in terris, uti idem ille Baldus loqvitur *in l. ult. Cod. de ſent. reſcind.* aut, *ſi Papa & Chriſtus faciunt unum conſiſtorium, ita quod, excepto peccato, poteſt Papa quaſi omnia facere qua poteſt Deus, & à nemine poteſt judicari*, qvod docet Abbas Panormitanus *in cap. licet de elect.* Etenim videtur *diſt. 69* recte ſcribi: *Satis oſtenditur, à ſeculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolvi poſſe Pontificem: quem conſtat à pio Principe conſtantino Deum appellatum, cum nec Deum poſſe ab hominibus judicari, manifeſtum ſit.* Qvin imo potuiſſet addi: à nullo etiam Concilio Epiſcoporum judicari Papam poſſe, qvia Deus eſt. Sed Nicolaus cujus verbis utitur Gratianus, perperam illud qvod Conſtantinus à Ruſtino fertur de omnibus Epiſcopis dixiſſe, ſoli

Papæ attribuit: perperam qvoqve verba Constantini accepit, de plusqvam humana auctoritate. Vt ut vero hoc qvidem sese habeat; illud certissimum est ex iis qvæ attulimus, non abhorrere à Romano-Catholica fide id qvod nos profitemur, etiam Papam ipsum esse judicio humano subjectum, nec omnino ἀνυπεύθυνον. Et sanè ad Papam proptiè pertinet etiam illud qvod ex Hieronymo in *causam* 29.7 transtulit Gratianus: *Non est facile, stare loco Pauli, tenere gradum petri, jam cum Christo regnantium, Infatuatum sal ad nihilum prodest nisi ut projiciatur foras & à porcis conculcetur.*

Qvæ horum autem eadem est ratio & obedientiæ omnibus sine discrimine etiam iniqvissimis Papalibus mandatis præstandæ. Nunqvam enim servile adeo obsequium Paparum in Catholica Ecclesia, qvamvis pressâ Papali jugo, obtinuit; adeoqve ne nunc qvidem illud potest à Fide Catholica exigi. Infiniti sanè actus contrarium docent. Sumptum porro illud *in memoriam*, non ex Caroli Magni est Capitularibus, qvod credi voluit Gratianus, sed ex Triburiensi Concilio. Qvod celebratum est plane eo tempore, qvo Epistolarum Pontificalium suppositicium volumen ut Romanos Papas, præsertim Nicolaum I & Hadrianum II, in superbiam intolerabilem, ita in stupidam servitutem egerat omnes illius ævi Episcopos, scelus Moguntiæ non multo antè commissum

missum ignorantes. Sed & ante annos triginta Nicolai Papæ in Archiepiscopos Colonienſem & Trevirenſem Romæ exercita ſævitia omnium, Germaniæ cum primis, Episcoporum animis adhuc obverſabatur: idqve maxime, qvod in Romana ſynodo, curante Nicolao, ut habent Annales Pythæani Francorum, hic fuiſſet conditus inſolens Canon: *Si quis dogmata, mandata, interdicta vel decreta, pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro corectione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, pro interdictione imminentium vel futurorum malorum, à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.* Inſolens inquam; qvia confictæ paulo ante Epiſtolæ Pontificum Pſeudo Iſidorianæ, plane inſolentem & novam Romanis Pontificibus auctoritatem, atqve adeo & illam, qvod omnia Pontificum mandata humillimo obſeqvio ſint obſervanda, rudibus illius ævi Epiſcopis tunc demum perſvaſiſſet. Qvod obiter heic monere, ex re duximus.

Et vero procedente tempore uſus docuit, neutiqvam deberi illam obedientiam Romanis Pontificibus; atqve idcirca ex eo ad priſcam libertatem, etſi non omni aliqva tamen ex parte, rediit Eccleſiæ Catholicæ, ut alibi paſſim ita etiam in Germaniâ hac noſtra legitimum regimen. Non eſt neceſſum ut ego id operoſe nunc doceam. Satis

est audire qvid scripserit jam ante ducentos amplius annos Nicolaus Cusanus, doctissimus utiqve sui ævi vir, pòst dignitate Cardinalis Romanus, & Germanus gente: qveqve ille prolixius differuerit celeberrimi operis *de Concordia Catholica Ecclesia l. 2. cap. 9. 10. 11.* Ubi inter alia hæc ejus verba sunt: *Ad validitatem statuti tria sunt necessaria: Potestas in statuente, Publicatio statuti, & ejusdem Approbatio per usum. Unde videmus, innumera Apostolica statuta, etiam à principio postquam edita fuerant, nec fuisse acceptata.* Pertinet huc, qvod aliqvod seculorum inconcussa consuetudine tantum non in universa Occidentali Ecclesia invaluerit, Bullis Pontificiis, nullam legis alicuj⁹ vim tribuere in Regnis & Provintiis, utut Romanæ communionis atqve adeo Catholicis, prius qvàm auctoritas Summarum cujuslibet loci Civilium Potestatum iis consensio accedat, si desit autem hæc, tum illas ceu nullius pretii abjici solere. Appellatur vulgò consensio isthæc in Gallia quidem *Regium Pareatis*, in Belligo *Placet*, in Regno Neapolitano *Exequatur*, alibi aliter. Rei hujus ignarus, & cœcus Pontificiæ omnis Bullæ adorator, fecerit pretium operæ, si cum cura expendat longè doctissimum opusculum de *Jure Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem*, vel saltim ejus illam particulam, qvæ inscribitur: *Belgii vetustum*

insti-

institutum de non admittendis Bullis Pontificiis sine literis PLACITI, seu consensu Principis. Liqvido sanè illi communis usus ibi oculis omnium exponitur. Cum primis vero notari merentur à nostris hominibus, qvæ ibi n. 5. de Rudolpho secundo Imperatore & n. 15. de Septem viro Moguntino circa negatam promulgationem Bullæ Cœnæ Domini quæ appellatur differuntur. In Gallia freqventissime Bullas Papales rejici, notissimum est. De Hispaniæ Regnis, utiq; sincere Romano-Catholicis, *practicar. quæstion. cap. 39. n. 9.* ita loqvitur summus Juris Consultus Didacus Covarruvias. *In his Regnis, multis in casibus & negotiis literæ Apostolicæ, ante executionem earum, ad Regia mittuntur Tribunalia: idque fit ex Regio Decreto, ut illic examinentur, ne quid fiat & obtineatur falsis precibus & importunis suggestionibus à Summo Pontifice, adversus Regni Regumque Hispaniæ Privilegia & Apostolicas Concessiones: denique ne litera Summi Ecclesiæ Præsulis contra publicam Spiritualis Ecclesiasticæ & Temporalis hujus provinciæ utilitatem, præter ipsius cencedentis voluntatem, executioni mandentur. Etenim & alii Christiani Orbis Principes eodem jure utuntur & hactenus usi fuere &c.* Qvid? qvod non fiant hæc passim terrarum mera Pontificum conniventia, aut illis nescientibus, sed etiam [qvamvis illis festo Cœnæ

Dominicæ qvotannis anathemate ferientibus eos, *qui Ecclesiasticam Juris dictionem impediunt vel usurpant, prætextu violentiæ prohibendæ, vel literas Apostolicas sine suo beneplacito vetant executioni mandari.* Imo qvod ipsa illa Bulla Cœnæ itidem passim nullo sit in pretio. Et vero Anonymus ille præstans Auctor opusculi de Jure Belgarum n. XV cum venetos Bullam illam aliqvando contempsisse memorasset, diserte scribit: *Qua in re Hispaniæ & Galliæ Reges exemplo eis præiverant, multis de caussis ea finibus suis excluſa. Et Belgæ quidem tantum abest, ut fulminibus istis, quæ Bulla Cœnæ tam confestim vibrat, se afflari existiment, aut fulguritione ejus terreantur, ut Concilia Regia nec mentionem illius fieri in Judiciis sustineant, mulctatis subinde causidicis, qui allegare Bullam, & auctoritate ejus causam suam fulcire ausi essent.* Neq; hæc ita agi duntaxat, sed summo etiam jure agi, haud dubitarunt non adeo pridem post Covarruviam duo præclari Hispaniæ Juris consulti singularibus voluminibus defendere: alter Petrus Gonzalez de Salcedo opere *De lege Politica*, alter Franciscus Salgado grandi libro cui titulum fecit: *De supplicatione ad Sanctissimum*, uterqve magno agmine idem sentientium non solum Jurisconsultorum sed Theologorum qvoqve stipatus. Qvorum tamen nemo non in Romana com-

communione vixit: etsi dissimulare nolim, Salgadi opus Romano Indice proscriptum esse. Cæterum nec indicis illius, qvamvis auctoritate Papali confecti & promulgati, in compluribus Catholico-Romanis regionibus, ut ex. gr. in Gallia & ditione Veneta, nulla est vel certe perqvam exigua existimatio: ubi nimirum haud obtinet doctrina mancipiorum Curiæ, cujusmodi sunt hodie Jesuitæ.

Qvæ de Ecclesiasticis aliisqve temporalibus negotiis agentium Bullarum habetur in Catholica Romanensi Ecclesia ratio, eadem passim observatur & circa illas qvæ Fidem attinent. Id qvod liqvidem est vel ex solis iis qvæ in Jansenianο negotio Romæ sunt promulgata. Etenim cum Romæ edita esset Bulla ab Urbano IIX anno seculi hujus qvadragesimo primo contra Jansenii Augustinum, illa nec in Gallia nec in Belgio nec in Hispania auctoritatem & vim aliquam nanciscι potuit, qvod Reges haud consentirent & bona pars Episcoporum Theologorumqve adversaretur. Successit autem seqvente anno sævior Bulla altera ejusdem Urbani Papæ. Etiam hujus vero in Belgis qvidem receptionem, à Rege Hispaniarum jussus sententiam dicere, Primas Belgii Archiepisc. Mechlinienſis non dubitavit dissvadere multis adductis argumentis, eaq; inter, qvod pauci eam sint ut rectam probaturi. Post etiã in Belgio fuit publicata Bulla isthæc, idq; auctori

ctoritate Regia : quia utrumqve creditum fuit necessarium ad id ut Bulla vim aliqvam consequeretur. Egre qvidem hoc utrumqve tulit Urbani successor Innocentius Papa ; ac proinde cum publica Protestatione asperisq; ad Regium belgii Gubernatorem datis literis, tum Archiepiscopi illius ut & Episcopi Gandavensis ad Romanum Tribunal evocatione, munire voluit læsam majestatem. Verùm hi neutiqvam voluerunt Romæ comparare, in Belgio autem non minus atqve alibi retenta consvetudo, Bullas Papales non admittendi nisi cum solito suo *Placet* : in hujus utriusqve ceu juste facti defensionem conscripta sunt ab homine catholico bina illa eximia opuscula de Jure Belgarum, qvorum alterum jam paulo ante plurimum laudavi, sed & Papa qvantumvis invitus tandem coactus est acqviescere. In eadem porro Jansenii causa anno qvinqvagesimo tertio Innocentius & sexagesimo qvinto Alexander Romæ Decreta publicarunt qvidem : etiam vero hisce nulla in Gallia & Belgio, ubi Jansenio faventium major erat numerus, fuit auctoritas, priusquam utrobique Regum auctoritate essent approbata : Innocentiana Bulla à plurimis Catholicis fuit aperte impugnata, qvasi falso impegisset Jansenio quæ ille non docuerat. Cui rei non aliud remedium invenerunt Jesuitæ, qvam illud absurdissimum & hactenus numquam audi-

auditum dogma: Papam esse infallibilem in ipsis qvoqve facti qvæstionibus. Possit autem, illam dubia Fidei definiendi facultatem, ab optimis licet Catholicis detrahendi Papis, eamqve oppugnandi usitata licentia, similibus exemplis aliis demonstrari, ex hoc ipso nostro petitis ævo, ut vetera omnia prætereantur; si non prohibere institutum hoc nostrum & nulla hujus operæ necessitas.

Non fiunt autem hæc ita tantum, ut ita loqvar, de facto, sed jure idipsum licere, unanimis est sententia omnium illorum, qui Pontificem citra Concilium falli etiam circa definitiones Fidei posse, diserte profitentur; qvorum numerus in Catholica Romanensium Ecclesia per qvam magnus est. Placet unius duntaxat nunc, sed tamen summi apud suos Theologi, Driedonis verba adferre in medium qvæ *l. 2. de Libert. Christ. cap. 2.* habentur. *Sententia Papæ circa Fidem tanta consilii moderatione concipi debet, tantaq; maturitate ac patientia decoqui, & tanta deliberationis gravitate proferri, ut omnis recta sit credenda. Verum quia Papa, quatenus homo talem modum liberationis circa ea quæ sunt Fidei potest omittere, & initi proprio sensui, propriaq; prudentiæ: idcirco etiam plærumque liceret examinare literas mandatorum Papæ, deffinientis, aliquid credendum esse aut fide tenendum.* Hec ipse Driedo.

Qvod si fas autem plerumve est literas Papales circa Fidem aliqvid mandantes examinare, utiqve multo magis licet, alias qvoqve Papæ Bullas de Fide nihil definientes sub censuram revocare: cum circa alia quævis negotia citra controversiam falli Papa ac fallere possit, & circa sola Fidei morumq; dogmata à nonnullis habeatur infallibilis.

Tantùm abest autem, vel hoc Catholicis omnibus verosimile esse hactenus factum, ut ne qvidem ipsorummet Conciliorum, illorum qvæ Oecomenica creduntur, Decreta omnia censuram imo rejectionem suorũ hominum effugere potuerint. Vtiq; enim Constantiensia & Basileensia, qvamvis olim omnes & nunc quoqve Galli ex Sorbonæ doctrina venerentur, Curia tamen Romana cum suis asseclis, atqve adeo & Jesuitis, solet in qvammultis non admittere, imo damnare. Quid? quod nec Tridentini Concilii inter suos alius sit cultus, Enim vero Pius IV omnia Decreta Tridentina confirmavit qvidem solenni Constitutione Romæ edita, publicavit qvejam septimo Kalend. Februarii anno 1563. Fortè nusqvuam tamen fuit creditum, hoc ipso vim obligandi Decreta Concilii illius jam accepisse. Prodiit pòst Romæ ejusdem Papæ & altera Constitutio *Sicut ad sacrorum*: significans, Concilium illud à Kalendis Maji anni sexagesimi qvinti, etsi in singulis regionibus nulla facta fuerat

pro-

promulgatio, omnem terram jam cœpisse obligare. Verumtamen spretum fuit passim terrarum etiam illud Papale edictum. Subsecuta est Romæ anno sexagesimo quinto XIII Kal. Martii tertia Constitutio, revocans & annihilans omnia omnino prisca à Decretis Tridentinis dissonantia. At vero ne in Belgio qvidem Hispanico, nisi demum mense Julio, & post acceptum ex Hispania regium consensum, postqve novam in Belgio factam publicationem, ut & monitis ante provincialibus omnibus, nihil per Tridentina derogatum iri vetustis moribus ac privilegiis, Concilium illud Justum obsequium impetravit. Rem omnem bonâ fide narravit Nicolaus Burgundus, disertissimus pariter & prudentissimus scriptor l. 2 Historiæ Belgicæ pag. 83 & 84 editionis Ingolstadiensis, justa autem prolixitate parite & accurate Anronymus defensor Juris Belgarum (idem tamen forte cum Burgundo) ultima opusculi sui parte. In Gallia universa, qvamvis summo studio annitentibus Papis, ne nunc qvidem Decreta isthæc Tridentina acceptata sunt. Aliarum terrarum atqve adeo & Germaniæ nostræ (saltim enim Ferdinandus & Maximilianus Cæsares, qvod Tridentinum Concilium etiam circa Fidei dogmata exspectationi non satisfeciset, ad moderatiores Cassandri sententias respexerunt) nunc non tangam: qvoni-

am ex hice liquidum satis est, ne quidem Conciliorum Universalium Decreta in Catholico-Romana Ecclesia non esse obnoxia examini, multo minus eorum Papales publicationes vim aliquam infallibilem aut sacrosanctam iis conciliare.

Nec vero desunt exempla & Censurarum in Papales Bullas ab hominibus etiam privatæ sortis vel hoc quoq; ipso seculo exercitarum. Non dicam nunc de iis quæ à Protestantium sunt manibus; sed tantùm illis quæ Romanæ communionis homines publicaverunt. Quam multi libelli editi sunt in lucem contra Pauli V in Venetos vibrata fulmina, & quidem non dissimulatis scriptorum nominibus, adeoque detecta fronte! Aperte sane præ omnibus non dubitavit hoc agere P. Paulus Monachus Servita, libello cui titulus: *Consideratio Censurarum.* ipsimet nostro huic Pacis turbatori Innocentio X, qvum etiam contra Belgas insolesceret, duos præclaros libellos *de Jure Belgarum* oppositos esse, sæpius jam tum memoravi. In Gallia ejusdem Bullam dua quinqve dogmata Cornelio Jansenio adscripserat, palàm nonnullos perstrinxisse, itidem jam diximus: jure an injuria, non est meum nunc definire.

Qvandoqvidem verò omnia hæc ita sese habent, simul jam itidem sole est meridiano clarius, id qvod initio diximus: salva fide, imo salvis in Ecclesia

qvo-

qvoque Latina receptis moribus, fas nobis qvoq; esse innocentianæ hujus Bullæ censuram instituere, ac proinde nihil esse causæ quamvis devoto alicui Paparum cultori, quare à mea hac opera avertat oculos. Haud me fugit quidem, posse cipiam fortassis scrupulum adhuc supereſſe, ex jurata à clero & aliis obedientia Paparum, sed hac de re agemus infra seorsim: contenti nunc, animos promiscuè omnium ad lectionem hujus libelli saltim præparasse.

Caput II.

Declarationem Innocentii non fuisse necessariam; esse autem plane insolentem & carere omni exemplo.

QVoniam itaque nulla pietas prohibet, qvo minus qvilibet salutis Germaniæ studiosus mecum instituat Innocentianæ Bullæ censuram: plurimùm verò interest accurate noviſſe, quo jure quave injuriâ per eam Pax publica fuerit irrita pronunciata, consequens jam est, ut ad rem ipsam tandem aggrediamur; idque ordine illo quem diximus observato.

Igitur minime quidem fuisse Necessum, ejusmodi Bullã edere, *primum* illud haud obscuro est I. indicio, quod etsi sæpissime in similes conditiones pax fuerit constituta, nunquam tamen talis quædam Declaratio Papalis prodierit. Utîqve enim il-

lud abs qvo hactenus Respublica & Ecclesia semper fuit salva non est vel Ecclesiæ vel reipublica necessarium. At vero longe frequentissime cum Paganis, cum Hæreticis, cum Mahumedanis, ita pax fuit inita, ut integræ provinciæ cum hominibus plurimis ac bonis Ecclesiasticis amplissimis cesserint aliis, multumq; eorum qve hactenus Christiani imo qvæ & ipsi Pontifices aliquamdiu tenuerant perierit: nec tamen Declaratio ejusmodi Papalis unquam, ab initio usqve Ecclesiæ Christianæ, vel visa, vel audita, vel tentata fuit. Ne Protestationem qvidem clancularìam à Curia Romana interpositam, legas per secula Christiana omnia. Tantum etiam ipsa abfuit semper ab ejusmodi aliqua publica Declaratione.

Quid, quod ante Gregorii septimi Papæ tempora, adeoque ante monarchiam sacram in universam Ecclesiam à Romana curia cœptam exerceri, ita omnia talia sint gesta, ut Pontifices Romani non magis ad suam curam illa negotia traxerint qvam alii Episcopi; qvorum itidem tamem nemo unquam in illum modum contra damna Ecclesiæ est protestatus. Qvod de prisco Ecclesiæ ævo præclare demonstravit Blondellus in suo Amandi Flaviani nomine edito Commentario: non opus vero est prolixe demonstrari, qvia nullum plane ex omnibus retro temporibus exemplum Protestationis

nis potest adduci. Ex qvo conditus est nova illa sacra Monarchia, miscuerunt se qvidem ferè omnibus belli ac pacis negotiis Papæ: verumtamen, ceu jam diximus, tales Innocentianæ Declarationes, contra pacem aliquam etiam cum Infidelibus initam, qvantumvis sacris rebus fuerit detrimentosa, nusqvam sunt publicatæ

Imo vero, ne quidem hac in Germania nostra (ne de aliis nunc dicam universi orbis regionibus) vel ipso superiore & nostro seculo, factum Papali autoritate Protestationem aliqvam esse, certo constat. Circumfertur quidem PAULI III Breve ad Carolum Vincrepa torium, qvod Carolus anno quadragesimo qvarto superioris seculi Ratisbonæ nonnulla Protestantibus indulsisset. Sed hæe epistola si non mentitur Papæ nomen, ceu nonnulli suspicantur, multum differt à Protestatione. Et sane verosimile est, responso aliqvo Cæsareo satisfactum fuisse Papæ, utpote qvi in sola epistola illa scribenda acqvieverit. Nec vero quidqam ad rem facit, ut probetur Carolum Vincrepatione isthac monitum facti pœnituisse, qvod habeat hæc Bzovius n. 7 ad annum 1544: *Non surda aure Cæsar Pontificis monita audivit, sed pace cum Rege Galliæ inita Crispini inter alias conditiones addi voluit, ut uterque pro virili Catholicam religionem propugnaret, Pontificem ad cogendum Concilium interpellaret,*

ret, Rex vero Galliæ legatione in Germaniam ad Ordinum conventum missa, protestantes ad assentiendum Concilio hortaretur. Præterqvam sane qvod de *non surda aure* nihil habeant illi historici, qvi tamen isthæc prolixe atque accurate narrant: nullum hinc pœnitentiæ indicium apparet, sed potius ardor quidam elucet Cæsaris, Pontificem rerum sacrarum negligentem & à Concilio habendo alienũ, cogendi ad officium faciendum. Et verò longe diversum qvid à Pacis, qvalis post pacta est, instituto improbasse sese, ipse Pontifex in Bulla Indictionis Concilii Tridentini affirmavit hisce verbis: *Cum id, quod ne accideret antea veriti eramus, ex ejus Conventus* (Ratisbonensis) *sententia petieretur à nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam Articulos tolerandos declaremus, idque nobis, ut concederemus, neque Christiana & Catholica veritas, neque nostra & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palam potius Concilium ut quam primum fieret, proponi mandavimus.*

Porro & contra Transactionem Passavienſem nullo plane modo protestatus est JULIUS III; etsi sederit in annum usque qvinqvagesimum qvintum, pene integrum triennium post transactionem istam conditam. Imo hic est ille Papa, qvi in Anglia per Cardinalem Reginaldum Polum Legatum suum, tranqvillitatis publicæ caussa, opes qvæ

qvon-

qvondam Eccleſiaſticorum fuerant, Secularibus qvos vocant in perpetuum poſſidendas permiſit. Ita ſane de illo ſcribit Henricus Spondanus in Annalibus ad annum 1554 n. 4: aut potius, unde illa deſcripſit, Sanderus l. 2. de Schiſm. Anglicano. *De bonis tamen ac fundis Eccleſiaſticis impetrare non potuit: quantumvis & Regina in Comitiis anni ſequentis operam ſuam in eo præſtiterit, ut reſtituerentur* Eccleſiis *& monaſteriis, quæ ab Henrico Rege diſtracta fuerant & nobilibus Laicis diſtributa. Qvin imo ne novæ inde turbæ concitarentur, Ordinibus poſtulantibus & urgentibus, adactus eſt, publico Inſtrumento, Pontificis nomine, omnes, de ejuſmodi bonis ac poſſeſſionibus, quoad pœnas & cenſuras canonicas,* IN PERPETUUM *ſecuros & abſolutos declarare.*

Similiter contra pacta Auguſtana, inita qvo tempore ſedit Julius III & Paulus IV, nulla Proteſtatio, multo minus ulla ejuſmodi Declaratio, fuit facta, vel à Pontifice ipſo vel ab ejus aliqvo Nuncio aut à Latere Legato. Nemo certe hiſtoricorum tale qvidqvam hactenus prodidit. Diſerte potius Natalis Comes l. 9 Hiſtoriar. *Decretum eſt in iis Comitiis, præſente ſacro antiſtite purpurato Morono, quem Julius Pontifex adeſſe voluit Legatum, ne quis religionis cauſſa adverſus quenquam bellum ſuſciperet.* Sane Moronus Legatus Pontificius, Au-

gustam à Julio III missus, statim octavo post adventum die, intellecta Papæ morte iterum abiit, sed nulla facta Protestatione; qvam proinde instituere non habuit in mandatis. Ut immeritò Moronum intermissæ protestationis causa Caramuel sit insectatus *n. LX Pacis Licitæ.* Certe si qvid tale ipsi fuisset mandatum, non impune tulisset ejus omissionem apud Julii successorem Papam Paulum, sævum hominem, & cum aliis tum huic etiam Morono gravem, utpote quem velut de hæresi suspectum diuturno carcere in Hedriani mole afflixerit, ceu legere est in Onuphrio.

Primus Ernestus de Eusebiis *Sect. 4. Rat. VIII* §. 2 affirmare non est verecundatus, PAULUM IV Paci Religionis edita Bulla contradixisse. Cæterum vanitas assertionis ne ab ipso qvidem Ernesto dissimulari potuit: scribit enim ita *ferri*, nec tamen, qvenqvam potuit laudare testem relationis: fatetur etiam, Bullam illam sibi non visam. Nec aliud vel in speciem adducit isti rei probandæ, qvam verba quædam, qvibus Cardinalis Hosius judicium suum creditur protulisse de Pace isthac à Paulo Papa interrogatus. *Creditur*, inqvam, nam ne Possevinus qvidem, qvo auctore hoc narrat Ernestus, Pacem religionis Germanicam diserte memorat. Sleidanus l. 26 hæc verba refert, ex Cardinalis Augustani reducis ex Comitiis Romanis Apologetico: *Toto illo*

lo tempore quo Romæ fui commoratus, me præsente vel conscio, ne verbum quidem unum factum est de religionis illa pace. Vixerat autem ille Cardinalis Romæ Paulo IV to sedente: ac proinde liqvet, Curiam Romanam tunc temporis non adeo ut jam, Protestationibus publicatis paci tunc factæ sese opposuisse. Certe Bulla aliqva damnatoria Pacis Augustanæ, ab illo Paulo IV to condita, nusquam comparet, ne quidem in magno Bullario à Cherubino edito. Sed & Bzovius n. 35 ad annum 1555 ita qvidem scribit: *Paulum IV vehementer commovit Ferdinandi in Comitiis se inscio de religione suscepta tractatio; ut hortatus fuerit antiquari revocarique quæ cum gravi Sedis Apostolicæ injuria concessa essent, pollicitus vires si Germaniam ad sedis Apostolicæ obedientiam reduxerit & relaxationem juramentorum.* Ast reapse factam aliqvam ab illo Papa Paulo IV Transactionis pacificæ cassationem, vel adversus eam solemnem aliqvam Protestationem, plane historici hi tacent. Ex hisce autem omnibus plusqvam abundè patet, Ernestinas de Protestatione fabulas nullam fidem mereri.

Dignum vero etiam hoc observatu est, fuisse illum Paulum Papam infesto in Cæsarem Carolum animo, nec minus Ferdinando successori periniqvum, summe immitem porro in Protestantes o-

mnes eorumqve sententiis addictos, utpote qvo nemo Paparum Romæ magis unqvam sævierit in dissidentes: ceu loqvuntur historiæ illius temporis, interqve eas ipsa illa, qva vitam & res ejus omnes est persequtus Onuphrius Panvinius. Si ne ille autem Paci publicæ aperte reclamavit, aut contra eam per tabulas est protestatus, utiqve judicatum tunc Romæ fuit, saltim tali aliqva protestatione opus non esse.

Verosimilius est id qvod idem narrat Ernestus, Joannem Franciscum Commendonum, Legatum PII V anno sexagesimo sexto protestatum esse contra approbationem, qvæ tum in Comitiis facta est, Religiosæ Pacis. At vero instituta est illa Protestatio non nisi clanculum, & coram Notario ac testibus, nunqvam publicata. Ideoqve illa fuit hactenus adeo occulta, ut ejus Protestationis primus palam meminerit ille personatus Ernestus. Ipse autem vel eo, qvod dicit, visum sibi Protestationis illius authenticum exemplum in Archivo Episcopatus Augustani, satis indicat, Protestationem istam nullarum fuisse virium; utpote qvum aliàs debeat illius authenticum exemplum non in Episcopatus Augustani, sed Cæsareo aut Moguntino Imperii tabulario reperiri. Certe si qvem insignem effectum à Protestatione isthac expectasset Legatus, aliter utiqve illam debuisset instituere, ceu notum est. Enim-

vero bene Caramuel *n. 406 Pac. Licitæ: Debuit Cardinalis publico & solenni scripto protestari, & per Procuratores suos singulis Principibus, etiam hæreticis, Protestationem suam intimare.* Addens autem: *se putare id factum*, graviter decepit sese: reapse enim nihil tale contigit. Per item est probabile, Legatum istum Pontificium mutata sententia à Protestatione illa tandem abstinuisse; nec Protestatione sua tam spectasse initam pridem Religionis pacem, qvàm conciliationem dissidentium de religione sententiarum, qvam in illa Conventu Imperii agitari unice desideravit optimus Cæsar Maximilianus, ad compositionem istam instituendam paulò ante excitatus cum ab aliis tum à Cassandro & Wicelio, qvorum de hoc argumento libri sunt in manibus. Conjicere id ipsum nos jubent ipsa verba Protestationis: *Requisivi & admonui, ne permittant ac consentiant deveniri ad hanc tacitam vel expressam confirmationem Recessus anni 1555 (quatenus continet Pacem religionis,) ob quam aliqua ratione, vel modo, minima etiam in parte, Concilii Tridentini decretis, præsertim ejus dogmatibus præjudicari possit.* Enimvero in universum Pax Religionis non adversatur *Concilii Tridentini decretis*, multo minus *ejus dogmatibus*: sed ea duntaxat pare, qvâ dissidentes de religione sententias jubet componendas non per decreta Concilio-

rum adeoqve nec Tridentina. Ita scilicet diserte cautum fuerat: Und sol die streitige Religion nicht anderst / denn durch Christliche / freundliche / friedliche Mittel und Wege / zu einhelligem Christlichen Verstand und Vergleich gebracht werden. Item: wo dann solche Vergleichung durch die Wege des General Concilii, National-Versamblung / Colloqvien oder Reichshandlung nicht erfolgen würde *&c.* Et vero illa parenthesi clausa Protestationis verba: *quatenus continet Pacem religionis*: videntur non esse ipsius Protestationis sed Ernesti.

Non opus autem est conjecturis, cum omnem rem prodiderit posteritati Jacobus Augustus Thuanus historicorum ejus temporis princeps, idqve (velut apparet) ex arcanis narrationibus desumptam Bernardini Bocadelli Episcopi Rodonensis, qvi Comitiis illis interfuit Legatus Galliæ Regis Caroli. Non dubito haud futurum absqve pretio operæ, si ipsa summi viri verba recitemus. *Comitiis*, inqvit, *interfuit Joannes Franciscus Commendonus Cardinalis, Pii V Pontificis nomine, cum ex Polonia rediret, acceptis ab eo Augustæ mandatis, nec non Marcus Siticus Altemsius itidem Cardinalis, sed tanquam Episcopus Constantiensis & Imperii Princeps. Cum Pontifex novus ex Oratoris, quem in aula Cæsarea habebat, & aliorum literis didicisset, in Augustanis Comitiis*

mitiis inter alia capita, quæ proponi debebant, de ratione componendorum religionis disſidiorum actum iri, id ad ſuam adeoque Romanæ Sedis omnium aliarum matricis autoritatem pernitere ratus, Commendono enixe injungit, ut ſi religionis negotium in Comitiis deduceretur, ipſe ſuo nomine publice proteſtaretur, & Pontificem divinæ cenſuræ gladium diſtricturum interminaretur, & contra Cæſarem imprimis, quem & Imperio ac regnis ac ditionibus, ſucceſſionibus & juribus, quæ in Hiſpaniæ regnis ei competebant, privaturus eſſes. Bene autem evenit, quod viro ſummæ moderationis & prudentiæ negotium commiſſum eſſet. Qui veritus, ne ea proteſtatione animi magis exaſperarentur, quam idoneum remedium malo, quod timebatur, pro tempore adhiberetur, aliam rationem deliberationis illius impediendæ ſibi ineundam exiſtimavit; reque cum Cæſare communicata & ſpe ab eo facta negotii in aliud tempus rejiciendi, ad Pontificem ſcripſit, & proteſtatione ea nihil opus fuiſſe monuit. Verum homo imperioſus & qui nullas rationes voluntati ſuæ contrarias admitteret, alteris mandatis enixe magis quam prius injunxit; ut ſi mentio ulla de religionis negotio in Comitiis fieret, publica proteſtaretur, & Cæſarem atque alios Principes Pontificis nomine à communione Chriſtiana excluderet. Sed neque ſecundis mandatis

mini-

ministèr hero prudentior paruit; & commodum accidit, ut cum secunda mandata venerunt, jam illud capud in aliud tempus rejectum esset. Non cessabat tamen Pontifex Cæsarem per Commendonum imperiose monere, ne quid tale in deliberationem in Comitiis deduci inposterum pateretur. In eo, pernicioſe peccasse Carolum V, qui, dum se negotiis sacris immiscet, Confessionem Augustanam à Philippo Melanchthone conscriptam in Comitiis proponi passus esset, & alio postea remedio autoritate Cæsarea intempestive usus, dum ita religioni consultum putat, religionem in discrimen revocaverit. Id rerum confusioni & turbis, quæ postmodum in Germania incrementum sumserint, causam dedisse. Facturumque melius maximum alioquin Imperatorem fuisse, si venienti malo, cujus principia semper infirma sunt, mature ac validis remediis occurrisset. Nunc libertate pessima in Imperio permissa, spiritum vertiginis inter Germanos regnare, & quot homines à vera Romana religione dissident, tot sectas esse. Hactenus Thuanus *lib. 39.*

Confirmatur autem hæc narratio eo, qvod in vita Petri Canisii, celebris utiqve Jesuitæ, illâ, qvam à Francisco Sacchino scriptam Sodales ipsi Ingolstadii anno 1616 ediderunt, *l. 2 c. 11* traditur: hunc cum aliis nonnullis Sociis Legato Apostolico ne Paci resisteret persvasisse. Fruſtra certe Ernestus quamvis

Socio-

Sociorum, se judice, omnium perspicacissimus *sect. 4. ad* IX. §. 2. conatur in dubium id vocare, nullo contrario testimonio vel indicio subnixus. Et vero merentur fluctuantis hominis verba hæc notari. *Forte id effecerint,* Jesuitæ scilicet, *ne publice Protestatio fieret cum perturbatione & scandalo. Si plus dicti Patres suasere, sola temporum necessitate sibi proposita, Pacis autem qualitate non explicata nec intellecta, falli potuerunt.* Taceo nunc, quod Socius Ernesti non unus è multis Laurentius Forerus, libro cui scurrili suo more titulum fecit: wer hat dem Kalb ins Auge geschlagen / fide illius Canisianæ vitæ non dubitaverit gloriari, de Sociorum in Pace servanda studio.

Post Pii V porro tempora illa, ne quidem ab Ernesto aliisque, Paparum aliquis potuit laudari, qui sit vel clanculum coram Notario protestatus, usque ad nostra hæc tempora. De uno VRBANO VIII nonnulla homo ille adfert, unde forte colligas Protestationem aliquam, saltem illius jussu, institutam. Ast vero plane aliud & adversum quid illa quæ adfert nos docent. Narrat enim, Vrbanum anno hujus seculi tricesimo primo, literis ad Nuncium suum perscriptis significasse: *neque Cæsarem neque alios Status aut Episcopos, habere potestatem de Ecclesiæ bonis aut juribus quidquam hostibus Ecclesiæ in ejus præjudicium per pacta tradendi aut permittendi:*

in eandem ſententiam anno triceſimo quarto Romæ reſpondiſſe Legato Moguntino: *Catholicos non poſſe cum hæreticis de bonis Eccleſiæ & Religione paciſci, nec Papam poſſe dare conſenſum aut poteſtatem.* Verum hæc non docent, factam ab illo Proteſtationem adverſus Tranſactionem aliquam.

Adjungit mox idem Erneſtus: Vrbani nomine adverſus Amneſtiam Ratisbonæ concluſam, Cæſari proteſtationem obtuliſſe, illum ad Cæſarem Nuncium cum poteſtate Legati à Latere qui Archiepiſcopus Athenarum audiit; addit etiam quædam ejus verba. Verum ex illis quidem verbis perperam colligit Erneſtus factam Proteſtationem & quidem nomine Vrbani. Hæc enim ſunt verba. *Ideo ego Caſpar Archiepiſcopus Athenarum S.D.N. Vrbani Papæ VIII ac S. Sedis Apoſtolicæ Nuncius, ſanctitatis ſuæ ac S. Sedis nomine, ſicuti paſtoralis officii ſollicitudo poſtulat, Cæſar. M.V, ut Catholicũ Principem & Eccleſiæ Romanæ Advocatum ac Defenſorem, rogo requiro & hortor: ut majorum ſuorum veſtigiis inhæreat, & ut pietatem M. Veſtræ decet, incolumitatem & integritatem Religionis Catholicæ & Eccleſiaſticorum ac piorum locorum, perſonarumque Eccleſiaſticarum, itidemnitatem tueatur; neque permittat aut conſentiat ſecus quid fieri. Alias omni meliori modo ejuſdem S.D.N. ac Sedis Apoſtolicæ nomine repugno & reſiſto; meque ſemper repu-*

repugnare & resistere velle profiteor; prout certus sum, quod idem S.D.M. ac ipsa Sedes Apostolica repugnabit & resistet. Protestationis nulla hic fit mentio; & *nomine* Vrbani Nuncius *rogat* duntaxat Cæsarem, *repugnat* vero non nisi sub conditione. Cumque dicat, *certum se esse quod S.D.N. ac ipsa Sedes Apostolica repugnabit & resistet;* Urbanus vero ex eo tempore nec per se, nec per alium factæ Amnestiæ repugnaverit literis Protestatoriis aut restiterit; vel hinc palam est, Vrbani autoritate Protestationem nullam vel contra Amnestiam vel contra alia cum Protestantibus deinceps inita pacta, esse institutam. Nec verò quidquam ad rem hanc faciunt privatæ literæ ejusdem Vrbani ad Episcopum Augustanum ab Ernesto productæ. Imo vero ostendunt illæ, alienum fuisse Vrbanum à Protestatione instituenda. Acceperat nimirum ille, quem in modum fuisset pactum Francofurti anno quadragesimo tertio, utque ipse in literis illis indicat, *accurate adhibuerat omnia officia, quæ è re fore* Augustanus Episcopus, vehemens sed destitutus prudentia vere pia & Christiana Zelota, ei *significaverat:* nec tamen contra illa Francofurtensia pacta protestatus fuerat Vrbanus.

Ipse postremo INNOCENTIUS hic Papa non protestari fecit, multo minus Bulla aliqva publicata irritam pronunciavit Pacem illam, qvæ paulo ante

Germanicam, die nempe triceſimo Januarii, itidem Monaſterii, & præſente tunc Fabio Chiſio, confecta eſt inter Hiſpaniæ Regem & Fœderatos Belgico-Germanos. Apertè ſane nihil hujus actum eſt. Et tamen, ſi rem ipſam videas, non minus hîc qvam per Pacta noſtra, in perpetuum Evangelicis iſtis Fœderatis conceſſa ſunt illa, quæ ſuis Proteſtationibus & Bullis ſubruere per Germaniam Innocentius laboravit. Judicavit qvidem aliter Urbanus VIII Papa, ſi vera ſunt qvæ ſcribit Caramuel *p. 159 Pacis Licitæ* hiſce verbis: *Urbanus bellum Hollandicum eſſe Politicum, nec religionem concernere, & Hiſpanis imputandum, dixit P. Aldenardio Belgæ Capuccinorum Provinciali, amico meo, & multa alia aliis.* Si ſanè hæc dixit Urbanus, & ſe & alios decepit nimis manifeſtò: & recte additum eſt à Caramuele, illa *ſubſiſtere non poſſe*.

Ex Quibus omnibus ſole clarius eſt, à nullo Paparum usqvam terrarum ante Innocentium, nec ab illo niſi in ſola noſtra Germania, adverſus pacta Pacis publicæ, etſi illa fuerint ejuſdem cum nuperrimis notæ, & Papali curiæ notiſſima, non tantum ullam Declarationem, ſed nec ullam vel publicam vel privatam Proteſtationem fuiſſe inſtitutam.

Si autem ab initio usqve Eccleſiæ non opus fuit vel clancularia Proteſtatione Papali, liqvet profecto clariſſime, qvod neqve hanc Declaratio-

nem

nem edendi ulla potuerit esse necessitas. Utiqve enim non jam opus est Ecclesiæ auxiliis plane novis & numquam antehac usitatis : nisi forte hæc Ecclesia ab illa vetere planè etiam fuerit nova ac diversa. Ac proinde *primum* qvidem argumentum meum firmum jam est, & satis probatum.

SECUNDO igitur: illa jura,qvæ Declaratione II isthac salva voluit præstare Innocentius,Pontificiæ Sedi & Ecclesiæ competunt,vel jure æterno sive naturæ sive divino,vel humano tantum positivo. Si æterno naturæ aut divino jure: non potuerunt ullis pactis humanis, aut longissimi temporis præscriptione, quicquã detrimenti capere, vel auctoritatis pristinæ qvidqvam amittere. Nec enim contra divina& naturæ instituta vel usucapio aliqva vel longi temporis usurpatio , vel pacta aut contractus hominum hilum ullum valent. Si vero à solo humano jure positivo illæ prætensionesPontificiæ dependent, (qvod fortassis Curia Romana haud concesserit , certè concedere non poterit salvo, qvem jactitat divinitus sibi concessum,Vicedeatu) aut satis fuit illis tuendis Protestatio, qvam sine exemplo jam tum bis Monasterii publice instituerat Nuncius extraordinarius Fabius Chisius, aut illa utraq; fuit nullius roboris & frustranea. Posterius non utiqve affirmaverit Innocentius ; imo illam isthac sua Declaratione diserte laudavit. Prius autem si

est verum, consequens iterum omnino est, hanc Declarationem nulla cogente necessitate esse editam atque institutam. Imo si verum est quod in hac Bulla asseritur: *notissimi juris esse, quamcunque tractationem seu pactionem in rebus Ecclesiasticis, sine Romanæ Sedis auctoritate factam, nullâ nullius q; roboris aut momenti existere;* (quale quid ignotũ tamen fuit omni veteri Ecclesiæ, imo aliquamdiu & novæ post constitutam Hildebrandinam sacram monarchiam) ne quidem Fabiana Protestatione fuit opus sed etiam illa fuit omnino superflua: ac proinde multo minus necessaria Innocentii Declaratio. Quod enim ipso confesso omnibus jure nullum est, illud nec usucapi nec præscriptione longi temporis amitti potest: atque adeo non est opus ad illud conservandum publica Protestatione.

Id quod erat probandum.

Caput III.

Declarationem Innocentii non esse ipsi Curiæ Romanæ utilem, sive in præsens sive in futurum.

Cæterum etsi haud necessaria, forte tamen *utilis* & fuit & nunc etiam est Declaratio. Verum utilitas si potuit sperari, vel in præsens sperari potuit vel in futurum. Eaque habito respectu, vel ad ipsos

pſos qui pactaPacis contraxere,vel ad eorum ſubditos, & quidem ſive alterutros ſive utroſque, Catholicos nimirum qui appellantur & Evangelicos. Nego, quidquam utilitatis ullo reſpectu potuiſſe merito ſperare Curiam vel Eccleſiam Romanam Bullæ illius promulgatione. Probabo autem omnia ordine; *primum* de utilitate in præſens, *deinde* de ea quæ in futurum forte exſpectari poteſt, acturus.

Cæterum iſtorum omnium hæc eſt una communis hypotheſis; quod utilitas, ſi quæ ſperanda ſit, ex ruptura pactorum Pacis debeat exſpectari: ſi autem illa inde ſperari nequeat, tum vero Declarationem nihil utilitatis adferre poſſe.

Jam autem quo utique tempore Pax cojit, res I Catholicorum, qui ita audiunt, exiguæ admodum erant & imbecilles, prope ultima ſtantes tabula, idque judicio ipſiuſmet Cæſaris & omnium Catholicorum Ordinum, ac proinde ſumme indigebant quiete & refocillatione. Saltim itaque illis utile in præſens haud fuit, Pacem ægre coalitam denuo rumpere, & ferale bellum iterum in ſeſe iſthoc ſtatu provocare. Si illis vero utile non fuit Pacem frangere, non potuit quoque utile eſſe ipſimet Papæ: utpote cujus fortuna ſtat caditque fortunâ eorum qui ipſi adhærent. In maximum profecto diſcrimen fuiſſent adductæ res & Catholicorum Ordinum & ipſiuſmet Papæ, ſi Declarationi Papali obſe-

obsecuti Imperii Ordines Catholici, à Pacis pactionibus iterum omni jam pene robore exhausti discessissent. Saltim In Præsens itaque nec ipsimet Papæ nec Germanis Catholicis utilis tunc fuit Innocentiana isthæc Declaratio.

Porro non potuit merito Innocentius cum Declarationem ederet, hinc, tum quidem temporis, utilitatis quidquam exspectare. Vel credidit enim, Cæsarem Gallum & Catholicos Imperii Ordines, Declarationi isti suæ assensum præbituros, vel non credidit. Si non credidit, utique nec credere potuit, illa quæ Pacis pacto sunt constituta irrita redditum iri. Si illa autem rata maneant, frustranea ac plane inutilis est Declaratio: utpote quæ tota occupata sit in rescindendis Pacis pactionibus.

Si credidit vero, crediderit etiam necessum est, & Cæsarem & Galliæ Regem, omnes item Eminentissimos Sereniſſimosqve Imperii Principes, non Ecclesiasticos minus quam & alios, homines esse nulla fide ac nulla prudentia. Hi videlicet, qvo tempore pax condebatur (fuit autem illud tempus satis longum, aliqvot non mensium scilicet sed annorum, atqve adeo deliberationibus amplum satis spatium concessum fuit) haud ignorabant, à legibus Pacis omnibus diffidere Nuncium Papalem Fabium Chisium, qvi Monasterii commorabatur & jussu Domini sui manibus, qvod ajunt, pedibusq; omni

illi

illi Pacis compositioni reluctari : haud etiam vel tum ignorabant, minari illum Nuncium adversus Pacis pacta, ceu hactenus domi fecerat, insolentem aliqvam publicam & suam & Papalem Protestationem : denique nondum rati habita Pace jam palam in luce publica viderant illa quæ hactenus Nuncius ille fuerat minitatus. Et tamen nihilominus in illas leges Pacem pepigerunt. Imo Instrumenti Pacis Osnabrugæ initæ Articulo V §. 1. jam confirmaverant Paces Religionis & veteres & jam novas hisce disertis verbis : *Transactio anno 1552 Passavii inita & hanc secuta anno 1555 Pax Religionis, prout ea anno 1556 Augustæ Vindelicorum & pòst in diversis S. R. I. Comitiis universalibus confirmata fuit, in omnibus suis capitibus, unanimi Imperatoris Electorum Principum & Statuum utriusque Religionis consensu initis & concluſis, rata habeatur, sancteque & inviolabiliter servetur. Quæ verò de nonnullis in ea Articulis controversis hac Transactione, communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictæ Pacis declaratione, tam in judiciis quam alibi observandâ, habebuntur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa convenerit. Non attenta cujusvis, seu Ecclesiastici, seu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interpositâ contradictione vel protestatione ; quæ omnes inanes & nihili vigore horum declarantur.* Etsi autem hic paragraphus

graphus, ut nec quævis alia qvæ Pacem religioſam attinent, totidem verbis in Inſtrumento Monaſterienſi habeantur, etiam Monaſterii tamen omnia iſthæc ratihabita ſunt hiſce verbis : *Cum etiam ad majorem Imperii tranquillitatem ſtabiliendam, de controverſiis circa Bona Eccleſiaſtica in libertatem exercitii Religionis, his ipſis de Pace Univerſali congreſſibus certa quædam compoſitio inter Cæſarem, Electores, Principes & Status Imperii inita, atque Inſtrumento Pacis cum Plenipotentiariis Reginæ & Coronæ Sueciæ erecto inſerta fuerit, placuit, eandem conſtitutionem, ut & illam de qua inter eoſdem ratione eorum qui Reformati dicuntur convenit, præſenti quoque tractatu firmare & ſtabilire, eo plani modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſerta legerentur Inſtrumento.* In univerſum porro, omnis novæ hujus Pacis tranſactio, auctoritate Cæſaris Regis Franciæ omniumqve Imperii Ordinum, etiam Catholicorum, recepta jam erat in leges publicas Imperii hiſce verbis Articuli XVII Inſtrumenti Oſnabrugenſis, ut & in Inſtrumento Monaſterienſi. *Pro majori horum omnium & ſingulorum pactorum firmitudine & ſecuritate, ſit hæc Tranſactio perpetua lex & Pragmatica Imperii ſanctio, imposterum æque ac aliæ Leges & Conſtitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii Receſſui ipſique Capitulationi Cæſareæ inſerenda, obligans*

ligans non minus absentes, quam præsentes, Ecclesiasticos æque ac Politicos, sive Status Imperii sint sive non, eaque tam Cæsareis Procerumque Consiliariis & Officialibus, quam Tribunalium omnium Judicibus & Assessoribus, tànquam regula quam perpetuo sequantur præscripta. Iidem, Cæsar inqvam Rex Galliæ & Ordines Imperii omnes qvamvis Catholici, hæc cumprimis digna notatu ad omnem posteritatem curaverant utrique Pacis Instrumento inseri: *Contra hanc Transactionem, ullumve ejus Articulum aut clausulam, nulla Jura Canonica vel Civilia, commnnia vel specialia, Conciliorum Decreta, privilegia, indulta, edicta, commissiones, inhibitiones, mandata, decreta, rescripta, litispendentiæ, quocunque tempore latæ sententiæ, res judicatæ, Capitulationes Cæsareæ & aliæ Religiosorum Ordinum regulæ aut exemptiones, sive præteriti sive futuri temporis protestationes, contradictiones, appellationes, investituræ, transactiones, juramenta, renunciationes, pacta seu dedititia seu alia, multo minus Edictum Anni 1629 vel Transactio Pragensis cum suis appendicibus, aut Concordata cum Pontificibus, aut Interimistica Anno 1548, ullave alia Statuta, sive Politica sive Ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, vel ullæ aliæ, quocunque nomine aut prætextu excogitari poterint exceptiones, unquam allegentur,*

audiantur aut admittantnr, nec uſpiam contra hanc Tranſactionem in petitorio aut poſſeſſorio, ſeu alii proceſſus vel commiſſiones, unquam decernantur. Deniqve & Cæſar & Galliæ Rex & præcipui Catholicorum Principum, primò Legatorum ſuorum, deinde propria manus ſubſcriptione confirmaverant jam tum utrasqve Pacis Tabulas. Qvî potuit itaqve ſine nota ſummæ imprudentiæ & levitatis, à Cæſare & Catholicis Imperii Ordinibus, aut vero etiam à Galliæ Chriſtianiſſimo Rege, reſcindi tot annorum ſpacio deliberata, agitata, & poſtremo tam graviter, tam ſevere, tam ſtudioſe, tam circumſpecte inita & in Tabulas relata, atqve ſanctè confirmata pactio? Nemo ſanè niſi ſtolidus & improbus perſvaſerit ſibi de Tantis Principibus adeo ſtolida & improba. Ac proinde qvia nec Innocentius cum ſuâ Curia Romana, ſic ſatis alioqvin callida, potuerit tale qvid ſibi perſvadere, non potuit qvoqve merito ſaltim in præſens aliqvid commodi à Declaratione iſthac ſibi polliceri.

Dixeris fortaſſis: potuiſſe Innocentium ſperare repentinam Pacis rupturam, etſi non à Cæſare & Principibus, tamen à vulgo ſacris ſuis addicto. Sed haud veroſimile eſt, homini cuiqvam rerum Germanicarum nonnihil gnaro, quales utique Curiæ Romanæ non deſunt, hoc potuiſſe in mentem venire. Nec enim ullum vulgo quidem noſtro robur

bur est movendis rebus, nisi Cæsaris aut Principum consilio & ductu. Adhoc ita longo bello populus omnis fuerat fractus & viribus exhaustus, ut nihil æqve desideraret qvam Pacem qvamvis etiam iniqvis legibus compositam, utqve adeo à rebus turbidis animo tunc esset longe alieniſſimo.

IGITUR qvo qvidem tempore prodiit Declara- II.
tio, non potuit, saltim merito non potuit, qvidqvam in præsens utilitatis inde Curia Romana exspectare. Omnis ergo fructus illius, si qvis fuerit, ad FUTURUM TEMPUS pertinebit. Et vero qvando jam dudum mortui fuerint illi qui primi Pacem publicam constituêre vel confirmavere, & creverint fortaſſis denuo Catholicarum in Imperio partium vires in tantum, ut concessa Protestantibus recuperandi spes affulgeat; haud immerito videatur, Declarationem illam posse magno incitamento esse, ad repetenda & consequenda illa qvæ Catholicis partibus & Romanæ Curiæ erepta creduntur. Possit enim saltim tunc temporis existimari à Catholicis, non teneri sese Pacis pacto, solutis dudum vinculo omnibus ab ipsomet Dei in hisce terris unico Vicario. Nec levitatis notam impingi sibi posse, ut qui pacta illa non confecerint. Nec periculi quidquam amplius imminere à motibus, post vires redintegratas. Et impune igitur & nullo

scelere à pactis conventis majorum ac Legibus Imperii recedi jam posse.

Verumenim vero etsi negari neqveat, Declarationem istam fortassis aliqvando fore apud Catholicarum partium animos imperitos aut novarum rerum cupidos, si qvæ spes sese ostendat, flabellum motuum civilium & novi cruenti belli, atqve huic uni fini videri aliqvando posse, inservire, nec aliud perinde Innocentium ejusdemq; potissimum consiliarium Fabium Protestationibus suis & hac Declaratione spectavisse: attamen ne ita qvidem aliquid certi commodi in futurum à suis illis Protestationibus & Declaratione Curia Romana jure merito potest expectare.

Primò enim id multo rerum usu jam est compertum, infelici eventu omnes motus passim terrarum finiisse, qui contra sancta majorum pacta, & perpetuas reipublicæ leges, per solas Paparum dispensationes quas vocant aut Declarationes fuerunt incensi. Non sane ullum temere felix exemplum attuleris.

Ex adverso certum est, acriter Deum vindicasse Paparum instinctu, & prætextu plane illo quo Declaratio Innocentiana Pacem sanctè pactam subruit, rupta etiam cum Turcis fœdera. Memorabilis sane in omne ævum est Hungarica ad Varnam clades. De illa ita scripsit isthac tempestate Æneas Sylvius

us, quem post Roma coluit Pii Secundi Papæ nomine, Epistola LXXXI: *Elati prioris victoriæ successibus Hungari, suadenteque Juliano* Cardinale & Legato Eugenii Pontificis, *qui treugas nullius momenti fore dicebat, injussu Sedis Apostolicæ cum hostibus Christiani nominis factas, Pacem ruperunt, collectoq; grandi exercitu terras hostium ingrediuntur, vastantes ferro & igne quacunq; obviam fiunt.* Paulo post: *Diu certatum est æquis viribus, dum Christiani suas acies virtute sustentant, Turci vero numero supplent. Cumq; per plures horas nunc illi nunc isti caderent, ad extremum inclinata Christianorum acie victores evadunt Turci; juramentaq; non solum domesticis fidei sed & hostibus servanda demonstrant.* De eodem prælio verba nonnulla Antonii Bonfinii ex Decadis III lib. VI quæ huc transferantur cumprimis itidem digna sunt: *Amurathes quum suos à Vladislao Rege non sine magna cæde fugari conspicaretur, ad expianda violatæ fidei piacula, ad ulciscendam Christianorum perfidiam, & ad vindicandum jus rescissæ pacis incenditur. Depromptum è sinu codicem initi sanctissimi fœderis explicat, intentis in cœlum oculis: Hæc sunt (inquit ingeminans) Jesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere: per numen tuum sancte jurarunt, datamq; sub nomine tuo fidem violarunt, perfideq; te suum Deum abnegarunt. Nunc Chri-*

ste,

ste, si Deus es (ut ajunt & nos hallucinamur) tuas measque hic injurias, te quaeso, ulciscere, & his qui sanctum tuum nomen nondum agnovere violatæ fidei pœnas ostende. Vix hæc dixerat qui ultimum in se impetum exspectabat, quum prælium quod anceps ac dubium diu fuerat inclinare cœpit. In manibus & oculis etiamnum versatur natum hinc cæsi ad Varnam Uladislai Regis epigramma epitaphium. Cujus hæc pars est:

Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

Etsi vero non iisdem ritibus, quibus induciæ inter Amurathem & Uladislaum olim fuere pactæ (alter scilicet Alcorano, alter Evangelico codici digitis impositis inducias juraverat) Pax Germaniæ sit inter partes composita, eadem tamen pactorum est sanctimonia, idem robur, eodem Deo vindice omnia conventa sunt. Itaque perinde ut antehac semper in ruptam prætextu Papalium dispensationum aut Declarationum fidem Deus severe graviterque animadvertit, ita justissima Numinis vindicta in rupta Pacis etiam nostræ pacta animadversum iri, par est existimare. Saltim haud temere felicem perfidiæ successum licet polliceri. Nec verò est quod dicat quis: Papam declarasse, quod Pacis initæ leges jure ipso sint nullæ, ac proinde fas esse qua-

quavis data occasione illam rumpere. Paulo enim post monstrabimus, Declarationem illam esse iniquam, & Pacis leges æquitati consentaneas. Utq; habeant aliquid iniqui, nefas tamen esse contra datam & juratam fidem illas non observare: Ac proinde omnem rupturam crimine perfidiæ teneri.

Secundo, Per est verisimile, mansuram in multam ætatem memoriam, semel iterumque in Germania nostra, alibi frequentius, infeliciter cum Protestantibus religionis prætextu gestorum bellorum, quamvis eorum initia tamen perquam blanda visa fuissent. Atque adeo non temere, Catholicarum partium saltim prudentiores quique, in discrimen se suaque conjicient denuo, & quidem sola Papali Declaratione isthac inducti. Taceo nunc, quod usu jam compertum habeant prudentiores, quàm in promptu sint Protestantibus auxilia aliena, etiam cum vires domesticæ nonnihil deficiunt. Prudentioribus autem Pacem sectantibus, temerariorum impetus haud multum commodi, contra autem sine dubio multum turbarum & certum periculum, cum Romanæ Curiæ tum Catholicis vulgo dictis Germaniæ partibus adferre valet. Ac proinde ne sic qvidem Declaratio ista utilitatem aliquam eximiam polliceri est idonea.

Tertio, non potest negari; quidquid improbet Declaratio Papalis, Leges tamen Pacis probatas esse

ab optimis & prudentissimis, nec minus sacrarum quam humanarum, cumprimis vero Imperii rerum, peritissimis Theologis ac Politicis; imo à Cæsare, Rege Galliæ, Senatu Veneto, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, Abbatibus, aliisque Imperii Ordinibus, licet omnes Romano Papæ sint addicti. Sine dubio etiam sententiæ hujus memoria haud obliterabitur; præsertim superstitibus præclaris pro ea defendenda monumentis. Atqve adeo numqvam deerunt magni Cæsares Reges Principes Viriqve alii, quorum conscientiæ erit perspasum, Pacis pactionem neutiqvam fuisse improbam, nec contra fas & æqvum initam; & per consequens nefas esse, præsertim postqvam in publicas Imperii inqve ipsas Cæsareæ Capitulationis juratas leges est recepta, vel violare illam vel turbare. Imo spes est, ea in sententia fore semper, saltim plærosqve. Etsi igitur nonnulli forte Declarationis obtentu, incitati ab Ernesti & Erbermanni similibus, sint aliquid moturi, reclamantibus tamen plærisq; erit etiam illorum conatus irritus; atqve adeo Innocentiana hæc Declaratio sperato fructu etiam imposterum privabitur.

Quarto deniqve, non potest unqvam utile esse rebus Romanæ Curiæ & partium Catholicarum, id qvod adversæ Evangelicorum parti nunqvam non (ut ita loqvar) vellicat aurem, & sibi à Romana

Curia

Curia ejusqve zelotis sectatoribus jubet cavere. Hoc facit autem Declaratio isthæc Papalis. Qvem enim Evangelicorum paulò prudentiorem permittat illa secure dormire, & non potius excitet tanqvam ad agendas excubias adversus insidiantem hostem, etiam in altissima pace? Certe ne Protestantes inopinato patiantur sese opprimi, & pacis specie hostilia adversum sese agitari, si qvid aliud hæc ipsa Declaratio efficere apta est. Etsi enim melioribus qvibusqve Catholicis merito & lubenter fidant Protestantes; non ignorant tamen, quantum possit, saltim apud Theologos qvam multos Pontificios, cumprimis plurimos Jesuitarum, præ omnibus, quos vocant Religiosos, Romanæ Curiæ qvarto suo voto adstrictorum, & superstitiosa Papalium sententiarum veneratio, & nostræ partis internecinum odium: longe minus ignorant, qvam multi Magnatum qvasi auribus sese duci patiantur ab illo Theologorum & inprimis Jesuitarum agmine. Nec vero est, cur non revocent ad animum illam Viti Erbermanni haud infimi nominis Jesuitæ confessionem, qvæ homini effreni imprudenter fortassis excidit Appendice altera §. 8. sui, quod mihi opposuit, Examinis. *In universum Theologi Catholici.* inquit, *etiam Cæsarei, Bavarici, & quotquot cũ Caramuele S. R. I. pacem probabant promovebantque, pariter censebant, debere Papam ejusq;*

Legatum proteſtari contra Pacem, qua hæreticis donantur Eccleſiaſtica bona. Quamvis enim fortaſſe quidam eorum haud noluerint Proteſtatione iſthac Pacem omni experte irritam reddere (qvemadmodum aliam qvondam fuiſſe ſententiam Ottonis Cardinalis Auguſtani, qui itidem contra Pacem Auguſtæ initam fuit proteſtatus, per fecit veriſimile Caramuel *Pac. Licitæ Diſputatione ſecunda n. 48 usque ad num. 98*) veriſſimum tamen eſt id quod ſcribit Anti Caramuel Num. 18. §. 5: *Quis non videt hoc argumento* (Proteſtatione ſcilicet Papali) *ſubverti finem totius Pacificationis, qui eſt Pax & conſtans tranquillitas in Imperio? Concipient enim hæretici ex hoc capite perpetuam erga Catholicos diffidentiam; quod ſcient, hos Apoſtolicæ Sedi, Catholicæ Religioni, adeoque ſibi, jus in bona Eccleſiaſtica perpetuo ceſſa, ſervatum voluiſſe.* Si hæc autem eſt Theologorum, etiam Pacem probantium, ſententia, qvid ſperemus de aliis? Et vero etiam Caramuel iſthoc ipſo libro quem *Pacis Licitæ* titulo inſcripſit. n. 18. 93. 131 & 141 alibique docuit: *Orandus eſt ſummus Pontifex, ne conſentiat, inſtruendi ejuſdem Legati ut proteſtentur.* Imò aperte eſt profeſſus, n. 46. nullam eſſe perpetuam Pacem, adeoque nec hanc in perpetuitatem eſſe condendam: etſi alibi, ut pag. 85. 86. 97. 99. 116. 123. 156. concedat, licere *perpetuam* Pacem dare hæreticis, ſi mora-

moraliter sit certum, hæresin perpetuo duraturam. Facit igitur Declaratio Papalis, ut Protestantes qvasi cogantur numquam esse securi, sed perpetuo, si propriæ vires labascant, aliena auxilia circumspicere. Quod profecto ipsimet Romanæ Curiæ non est commodum: utpote cujus in Germania salus unice hæreat in salute & tranqvillitate Catholicarum partium.

Qvid, qvod fortassis & Protestantes Principes, si vires crescant, possint induci, armis Catholicos imbecilliores opprimere? Si nempe, Declaratione Papali irritum Pacis robur esse factum existimantes, sibi quoque integrum censeant, prævertere malum à Romanensibus imminens, adeoque saltim certo metu futuri periculi sese in tempore, dum adhuc prævalent, exsolvere. Taceo nunc, iisdem modis qvibus Catholici qveant impelli qvondam ad arma, posse Evangelicos nonnullos imprudentioribus persvaderi (etsi ego id arbitror impium) fas sibi etiam esse, qualibet data occasione Catholicos exscindere; ut qvibus nullo Pacis sacramento amplius post Bullam istam Innocentianam sint adstricti. Prohibeat qvidem Deus impias ejusmodi sententias. Spero etiam prohibiturum Deum, ne unqvam tale qvid cuipiam veniat in mentem. Tam perversis tamen suspicionibus, & novis turbulentis molitionibus, Declaratione isthac Innocentiana

esse ansam præbitam, cuivis prudentiori manifestum est.

Caput IV.

Declarationem Innocentianam ipsimet Romanæ Curiæ, ut & Catholicis in Germania Partibus, esse noxiam.

NOn utilem esse, sive Catholicarum in Germania partium sive ipsiusmet Romanæ Curiæ rebus, illam ab Innocentio X Papa promulgatam Declarationem, ex iis qvæ modo diximus liqvidum est. Mox verò fiet apertum, eandem illis noxiam qvoqve esse ac summe pernicioſam. Et vero ostendemus, Romanæ qvidem Curiæ nocere plurimum Declarationem istam, partim simpliciter ac per sese, partim ex conseqventi, ob mala qvæ infert rebus Catholicis Germaniæ.

Primum igitur, id utiqve certum est, sententiæ Papali hactenus vehementer adversatos esse, & cum Pax ipsa conderetur, & cum, Protestationes instituerentur à Nuncio Pontificio, & denique cum Declaratio isthæc, sive conficeretur sive publicaretur, omnes etiam Catholicarum partium qvotqvot in Pacem istam consenserunt. Id autem fecere Cæsar, Rex Galliæ, Archiepiscopi, Episcopi, & in universum qvicqvid est Electorem, Principum, imo Ordinum Imperii Germanici. Proculdubio probavit qvoqve pacem illam Sereniſſimus Venetus Sena-

tus

tus; utpote cujus consilio & interventu Pax illa coierit, Ipse Hispaniarum potentissimus Rex eorum qvæ Papa damnavit, nihil improbavit: haud dubie pactum pacis manu etiam simul cum aliis approbaturus, si per controversias Gallicanas licuisset. Hos omnes,atq; adeo ipsa Ecclesiæ Catholicæ præcipua capita, non contentus Papa Innocentius per Nuncium suum publice perstrinxisse, qvod *temere contraxerint* de rebus *non habentes potestatem;* in Declaratione sua ipsemet coram universo orbe accusare non est verecundatus, qvod Pacis pacto utroque *gravissima RELIGIONI CATHOLICÆ, DIVINO CULTUI, Sedi Apostolicæ, & Romanæ ac inferioribus Ecclesiis, Ordiniq; Ecclesiastico, ac jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, pactis, turnis, ac juribus illorum, intulerint præjudicia.* Qva accusatione haud facile quæ alia gravior possit esse atque atrocior; præsertim qvoniam, insolito exemplo, typographiæ suæ Cameralis auxilio, ex ipsa urbe Roma, ad universi orbis infimæ etiam plebis notitiam, devenire illam Papa voluerit. Nec vero non accusatione isthac tacite laboratum est, omnes pene, certe præcipuos, Catholicæ Ecclesiæ Magnates in opinionem impietatis apud populum vocare; quod reapse est populum adversus Principes suos incitare, & tantùm non armare in

pieta-

pietatis ac religionis Catholicæ defensionem. Imo vero promulgatione isthac Declarationis, ad omnem posteritatem nota haud levis cunctorum illorum Magnatum famæ qvasi inusta est. Non possunt isti Magnates hæc quidem omnia, vel surdis auribus excipere atqve ad animum non revocare, vel sine indignatione admittere, longe alia penitus persvasi ac recte sibi conscii. Non possunt proinde iidem non, ob tam atrocem injuriam, vehementer succensere Romanæ Curiæ. Tantorum verò & tam multorum Principum indignatio qvî non sit Curiæ noxia? Certe omnis illius potentia ac vis favore Principum, si non unice, saltim maxime nititur. Atq; adeo, provocata isthac indignatione, Declaratio ipsimet suæ Curiæ plurimum nocet.

Secundo, multa utiqve millia ex populo ambabus, qvod ajunt, manibus Pacem qvalis à Cæsare & Principibus confecta est, amplexi sunt. Plurimi porro prudentiorum populi consilio & ope causam suorum Principum juverunt, nunc qvoque eandem haud dubie tuentur. Etiam hi igitur non possunt non indignari; Imperatores, Reges, Principes, eosqve inter Archiepiscopos Episcopos & Prælatos, tam indigne à Romana Curia per Declarationem istam esse habitos, & Pacem usque adeo expetitam Romanæ Curiæ conatibus velle irritam reddi.

Nam

Nam quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se?

Non possunt non ita sentire, quibus quidem Declaratio illa innotuit; potest autem facile illa omnibus innotescere. Etiam populi vero indignatio Romanæ Curiæ nocet: qvamvisminus sit noxia atque est ira Magnatum.

Id *Tertio* est certissimum, nihil perinde Ro- III.
manæ Curiæ esse pernicioſum, quam si is, quem sibi Papæ vindicant Divinus Vicariatus, suspectus fiat & dubius. Ruinam sane hoc minatur omni auctoritati Papali: quippe quæ in sola pene opinione illius Vicariatus hæreat. Etsi enim nonnulli cum Gallicana Ecclesia & Italorum quamplurimis venerentur Curiam, quamvis Vicariatum istum neutiquam admittant: illa veneratio tamen reapse non nisi comis quædam est observantia, ab expectatione privati ex Curia commodi maxime profluens, adeoq; cum spe illa incipiens manens & desinens. Summe impium certe Papa facinus committit, si falsò sese Dei unicum interris Vicarium venditet: adeoque omnis qui Vicariatum spernit, non minus, imò multò magis quam Pseudoprophetam aliquem detestari Papam, ipsa pietatis lege æterna pariter ac divina jubetur. Saltim non minus odisse illum cum sua Curia decet quàm cuncti tenemur odio prosequi illum qui Proregem

sese aut plenipotentiarium Legatum in negotiis maximi momenti potentis Principis falsò venditat, atque adeò summæ perduellionis crimen committit. Jam verò definit quidem Declaratio, ceu jam tum notavimus: Pacis leges *gravissima religioni Catholicæ, Divino cultui, & Ecclesiis inferre præjudicia*: Vindicat item Romano Papæ monarchica jura in omnia quæ sacrorum nomine veniunt, cultum ajo divinum personas & res sacras, præter hæc arrogat Papæ jura talia quam multa tanquam divinitus illi debita: Non ex vero autem ita definitum esse in isthac Declaratione, persvasissimum est omnibus quotquot Pacem approbavere; cujusmodi sunt non tantum præcipui Magnatum Catholicæ Ecclesiæ, sed & ingens populi per Germaniam multitudo. Hi omnes ergò non possunt non negare, (si sapere sibi liceat) Papam esse infallibilem judicem sententiarum quæ ad fidem ac mores pertinent: Aut recte ex cathedra quondam pronunciasse cum alios Papas complures tùm Bonifacium IIX: *Subesse Romano Pontifici omninò esse de necessitate salutis*. Infallibilitate autem vel subjectionis necessitate sublata, actum est de illo quem Papa sibi arrogat Divino Vicariatu. In summum itaque discrimen Romanam Curiam conjicit Declaratio, præbita in vulgus occasione dubitandi de infallibilitate Paparum & Divino eorum Vicariatu.

Ex

Ex conſeqventi per profecto Curiæ iſti noxia eſt Declaratio, imo pernicioſa.

Obſervavit hoc ipſum ex parte etiam perſonatus ille Judicii Theologici ſcriptor, *Sect. IV. Rat.* IIX. §. 2. Cum enim Paci Pontifices adverſari docuiſſet, addit deniqve hæc verba: *Adverſus tot Pontifices Pacem talem, qualem deſiderant Proteſtantes, ſeu ſvadere, ſeu probare, eſt viam ſibi aliisque ad ſupremam in Eccleſia auctoritatem enervandam aperire. Profecto ambigua foret Dei erga Eccleſiam providentia, ſi Chriſti Vicarium, in tantis Religionis Catholicæ neceſſitatibus decipi pateretur in ea Pace repudianda, quam Theologi & Politici hujus ſeculi ſalva conſcientia non ſolum iniri poſſe, ſed etiam illicite recuſari, pronunciant.* Hæc Erneſtus, & qvidem recte juxta hypotheſin Curiæ Romanæ & Jeſuiticam, de divino Pontificis Vicariatu. Et vero, ſi Declaratio eſt improba (id qvod credunt omnes Pacis ſerii amatores) liqvet, divina providentia non eſſe conſtitutum illum Papæ Vicariatum ſed impiè eſſe confictum.

Nocet *Qvarto* etiam ideo Declaratio, qvoniam IV. in vulgus prodit grande arcanum; contemni videlicet à magnis Principibus omnibusqve aliis qvi rempublicam adminiſtrant Papales ſententias, ubi rerum ſuarum aliter intereſſe exiſtimant. Qvanquam enim cum alibi tum comprimis in Gallia,

in vulgus pridem hoc innotuerit, in Germania tamen noſtra, ex quo à Jeſuitis præcipue cœpit doceri, humile obſeqvium Romanæ Curiæ in officio eſſe veræ pietatis, ſecus qvam ante hac fuerat perſvaſum majoribus, ſtupidus Curiæ cultus in populo Pontificiæ Eccleſiæ aliquam diu jam invaluit. Intereſt vero Romanæ Curiæ celari hoc in fulgus ſaltim noſtræ Germaniæ: ne etiam rudis populus noſter Principum exemplo Papam ſpernat, ejuſque voculas, quas ſuevit aliàs tanqvam Divinas venerari, nihili æſtimet, atq; ita vis omnis Monarchiæ Pontificiæ exoleſcat. Nec vero Monarchæ, imo cuilibet ſummæ poteſtati, quidqvam eſt contemptu pernitioſius; nihil æque eſt cavendum. Quam parum curent verò Magnates Pontificias ſententias, ſi illæ à rebus ſuis diſſentiant, luculenter profecto, poſt Fabianas Proteſtationes, terrarum orbi Innocentiana Declaratio oſtendit. Jam tum ſcilicet in ſecundis publicis Tabulis ingenue (minus caute tamen & prudenter fortaſſis) affirmaverat Fabius: ſeſe *ſæpius* iis, quæ dum de Face componenda agitaretur fuerunt propoſita, *ſolennes proteſtationes* oppoſuiſſe, *quædam ſe extreme rejeciſſe damnaſſe & deteſtatum eſſe*, nihilo tamen minus fuiſſe illa conſtituta. Idem bis publice Proteſtationes ſuas, Pacis legibus omnibus jam in chartam conjectis, quaſi promulgaverat; Cæſar tamen, Rex Galliæ, &

Catho-

Catholici Principes illas leges Pacis, non attenta isthac duplici Protestatione publica nomine Pontificis instituta, manu sua subscriptâ corroborarunt ac confirmaverunt.

Plus satis ita jam in vulgus coram universo orbe prostituta erat Pontificia auctoritas; adeoque intererat sanè cavere,ne amplius illa evilescceret, iis propositis quæ à Catholicis Magnatibus observatum iri nulla spes supererat. Certe hoc vilipendium omnimodo dissimulare, in rem erat Romanæ Curiæ. Ut solet à prudentibus dissimulari quod exequi nequeunt. Multò magis autem in ipsius vulgi scientiam omnia petraxit publicata Declaratio. Non enim quisquam Magnatum etiam illam hactenus vel unius fecit flocci. Imo spretâ illa Declaratione, & perinde ac si esset inanis aliquis strepitus aut brutum fulmen, utrumque Pacis pactum haud multò pòst in Comitiis Ratisbonensibus, unanimi Cæsaris & Ordinum consensu & auctoritate, in leges publicas imo fundamentales, ut loqvuntur, Imperii receptum est. Hac ratione autem utiqve adhuc magis solito Pontificum existimatio in vulgi contemptum protracta est. Et verò sunt qui ferant, ab ipsomet optimo & prudentissimo Cæsare Ferdinando, conquerente apud Melcium Papalem Nuncium de publicata Declaratione, judicii imbecillitatem notatam in Innocentio; quasi

ille muliebribus Olympiæ, aut sui Fabii à Jesuitis aliisqve seducti, stolidis consiliis abreptus Declarationem promulgasset: id qvod procul abest ab Infallibilitatis & Divini Vicariatus opinione.

Qvo citra laborem omnibus illicò pateat id qvod diximus, contemptim videlicet habitam esse à Cæsare & omnibus Imperii Ordinibus, qvamvis Catholicis, Declarationem Innocentianam, producam hoc loco ipsa verba Recessus Imperialis, altero statim post Declarationis promulgationem anno, in Conventu communi omnium Imperii statuum, & conditi & manus sacramento corroborati, qvibus utrumqve Pacis Instrumentum in ordinem Legum publicarum, imo fundamentalium qvæ vocantur, reapse est receptum. Sunt autem hæc: Nach dem sich &c. §. 4. und aber bey dem ersten Haupt-Puncten und dessen Subdivision, wie der **mit so grosser Mühe/Arbeit und Kosten erhobener Fried** 1. zwischen Häupt und Gliedern / und 2 diesen unter sich selbsten / wie auch 3. denen Außländischen Cronen stabilirt, daß uhralte Rechte durch den Frieden-Schluß wieder auffgerichte Vertrauen befestiget / und mithin daß werthe allgemeine Vaterland **von aller weiterer Mißverständniß** bestendig gesichert bleiben möge / in deme zu Münster und Oßnabruch zwischen uns / auch Churfürsten und Ständen des Heil. Reichs und beyden außwärtigen Cronen auffgerichten / publicirten / und ratificirten allgemeinen Reichs-Frieden-Schluß / **mit allerseits** transigirenden **Theilen/ Willen und Belieben** art. 17. die Versehung beschehen/daß derselbe zu aller und ieder darin erhaltener Pacten und Verei-

einigungen / Gewiß-und Sicher-heit / ein ewiges Gesetz und sanctio pragmatica, des Heil. Reichs Fundamental Satz-und Ordnungen verbündlich seyn / zu solchem end auch / dem nechsten Reichs-Abschied einverleibt werden solle.

§. 5. So haben wir / umb dessen allen mehrer Bestärck-und Befestigung willen / berührten allgemeinen Reichs-Frieden-Schluß / und die darüber zu Münster und Osnabrück auffgerichte Instrumenta Pacis sambt dem arctiori exiqvendi modo und Nürenbergischen Executions-Recess gegenwärtigem Reichs-Abschied von Worten zu Worten / nachfolgenden Buchstablichen Inhalts / inserirn und einrucken lassen. Hactenus paragraphus Qvartus & Qvintus. Qvorum prior etiam nos docet, confessionem publicam Cæsaris omniumqve Ordinum, qvanto labore & molestia tandem Pax composita fuerit, qvodqve Pace isthac prisca & sincera Imperii tranqvillitas constet, qvod deniqve in constantem securitatem debeat utrumqve Instrumentum, ceu æterna lex, fundamentalibus Imperii Constitutionibus adjungi.

Jam insertis verò huic Recessui istis qvæ paragrapho qvinto enumerantur, vis & auctoritas omnibus illis adeo ἐμφατικῶς & illis sanctis formulis data est, ut & illa verba heic recitare atq; expendere operæ fuerit pretium. Sunt autem hæc paragrapho sexto. Setzen demnach / ordnen / wollen und bieten / allen und jeden / Hohen und Niedrigen / Geistlichen und Weltlichen / Ohn-und Mittelbahren / sie seyn Stand des Reichs oder nicht / und dahero so wohl unsern als der Ständen / Räthen Beampten und Officiern / als allen unseren und

des

des Heiligen Reichs / auch der Ständen hohen und niedern Gerichten/Richtern und Beysitzern von beyden Religionen / ohne Außnahm einiges Menschens / hermit ernstlich / und bey Vermeydung deren in ermeldtem Friedenschluß beygefügten Straffen und Pœnen / daß alles dasjenige / was darin und in allen deren Puncten und Articuln enthalten / auch nach demselben / und bey gegenwärtiger und künfftiger allgemeiner Reichs-Versamlung/zu dessen allen mehrer Handhab/ Execution, und Befestigung ferner vor gut befunden und beschlossen worden / oder noch beschlossen werden möchte / vor ein gegebenes Fundamental-Gesetz des Heiligen Reichs und immerwährende Richtschnur und ewige Norma Judicandi, steth/ vest/ und ohnverbrüchlich gehalten/ demselben allerdings richtiglich nachgelebet / von Niemand was Würdens Stands oder Wesens der auch sey / mit Rath oder That/ öffentlich oder heimlich deme entgegen gehandelt / noch iemand einen andern darüber de facto eigenes Gewalts zu beeinträchtigen / zu turbiren / seines rechten oder dessen Gewehr zu entsetzen/ zu befehden / zu überziehen / oder zu bekriegen / noch sonsten Macht und Fug haben solle / sein Recht mit Gewalt und vermittels der Waffen zu suchen/ dev/ aus ermeldtem Frieden-Schlusse geziemender Restitution sich zu widersetzen/ oder einige / so dasjenige nach Inhalt desselben/ ordentlicher rechtlicher Weise und ohne excess wieder erlangt / ausserhalb rechtlicher Erkäntniß uffs neue zu beschweren? Alles bey obangeregten Straffen und Pœnen den Friedenschluß selbsten einverleibet. Hæc omnia unanimi consensu ita sunt constituta, isthoc tempore cum neminem fugeret, plane damnatum esse utrumqve Pacis Instrnmentum ab Innocentio Papa, & qvidem publicatâ ante biennium in vulgus Bullâ; cumqve adhuc viveret ipse Innocentius; imo

cum

cum in Curia tantum non omnia moderaretur magnus Pacis adversarius Fabius Chisius, qvi mox anno seqvente Pontificatum cum nomine Alexandri septimi fuit conseqvutus.

Non in illas vero duntaxat leges Imperii publicas jam tunc temporis hæc ita sunt recepta, sed etiam in Capitulationes, qvæ appellantur, Imperatorias transierunt, Etenim jam anno 1653 Ferdinandi IV. anno qvinqvagesimo octavo Leopoldi Capitulationibus, articulo secundo disertis illa verbis sunt constituta. Ut hac etiam re liqvido pateat oculis omnium veritas, non gravabimur illa etiam verba producere hîc in medium. Et Ferdinandina qvidem Capitulatio ita sese habet. Wir sollen und wollen auch die Güldne Bull mit deren in dem jüngst zu Münster und Oßnabrück auffgerichten allgemeinen Reichs-Frieden-Schluß / auff den achten Electoratum enthaltener Extension, nach Inhalt berührten Frieden-Schlusses / den Frieden in Religion- und Profan-Sachen / den Land-Frieden / samt der Handhabung desselben / so auff deme zu Augspurg Anno 1555 gehaltenem Reichs-Tage auffgerichtet / angenommen / verabschiedet und verbessert / auch in denen darauff erfolgten Reichs-Abschieden wiederhohlet und confirmiret worden / sonderlich aber obgemeldten Münster- und Oßnabrückischen Frieden-Schluß / und Nürnbergischen Execution-Recess, wie auch alles das jenige / was bey gegenwertigem nach des H. Reichs-Stadt Regenspurg in Krafft mehrerwehnten Frieden-Schlusses außgeschriebenen allgemeinen Reichs-Tag verabschiedet und geschlossen / auch was zu gäntzlicher Vollziehung des Frieden-Schlusses ins künftig

für gut befunden werden möchte / gleich wäre es dieser Capitulation von Worten zu Worten einverleibet / stet / vest und unverbrüchlich halten / handhaben / und darwider niemand beschweren / auch andere des H. Reichs Ordnunge und Gesetze / so viel die dem obgemeldten angenommenen Reichs-Abschied im 1555 Jahr zu Augspurg auffgerichtet / und mehrerwehntem Friedenschluß nicht zu wider / confirmiren, erneuren / und dieselbe mit Raht unser und des Heil. Reichs Churfürsten und anderer Stände / wie daß des Reichs Gelegenheit zu jederzeit erfordern wird / bessern; zumahl auch die jenigen / so sich gegen ermeldten Friedenschluß / und darinn bestättigten Religions-Frieden / als **ein immerwährendes Band zwischen Haupt und Gliedern** zu schreiben / oder ichtwas in offentlichen Truck heraus zu geben / (als dadurch nur Auffruhr / Zwitracht / Mißtrauen und Zanck im Reich angerichtet wird) unternehmen würden oder solten / gebührend abzustraffen / die Scripta und Abtruck zu cassiren / und gegen die Autores so wol als complices, wie erst gemeldt / mit Ernst zu verfahren. Hactenus Ferdinandina. Iisdem autem verbis constat Articulus secundus Leopoldinæ Capitulationis: nisi qvod hic habeat additum unum alterumqve verbulum, & ita finiatur: auch alle wider den Friedenschluß eingewendete Protestationes & contradictiones, sie haben Namen wie sie wollen / und rühren woher sie wollen / nach besag erstgedachten Friedenschlusses **verwerffen**: qvæ ultima verba Protestationibus cum aliis tum Chisianis, ut & Innocentianæ Declarationi, sunt disertè satis opposita. Ut proinde nihil sit certius, qvam Capitulationum qvoq; Imperatoriarum sacris legibus jam tum bis

Papa-

Papales istas contra Pacem machinationes damnatas esse.

Sed de hisce forte plus satis ; pergemus igitur nunc rursum in instituto.

Non obscure præterea ipsamet Declaratio prodit Papalium virium imbecillitatem, dum irrita qvidem Pacis Pacta pronunciat, atrociter accusans eorum Articulos nonnullos, ceu jam tum audivimus, nullam tamen pronunciat pœnam in Pacis auctores. Solet nimirum hactenus Curia sævire fulminibus in omnes Libertatis qvam vocant Ecclesiasticæ violatores. Fridericus II Cæsar ob pacem cum Sarracenis compositam anathemate olim ictus est. Nihil hujus audet Declaratio: etsi longe gravissime peccatum esse à Pacis auctoribus censuisset. Prudenter qvidem: conscià scilicet Curià, sperni hodie Pontificias pœnas, ac proinde earum indictione nonnisi contemptum crescere. Qvoniam tamen præter antiqvum Curiæ morem est clementia illa, non latet rerum gnaris tam insolentis lenitatis vera causa. Ab imbecillitate videlicet eam esse. Qvam cum tacite orbi prodiderit Declaratio, etiam ita noxitam illam Curiæ esse, manifestum est. Id qvod *Quinto* loco annotari promeretur. V.

Nocent *Sexto* existimationi Curiæ haud etiam parum nonnulla, qvæ Declarationi inseruntur. Non tangam nunc ea qvæ prorsus ab æqvitate sunt aVI.

linea: qvoniam de his infra agendum fuerit. Qvî vero excuſaveris, qvod cum Articuli Pacis *Religioni Catholicæ, divino cultui, & Sedi Apoſtolicæ* adverſari, fuiſſet affirmatum; qvaſi in probationem accuſationis hujus ſtatim hæc addantur: *ETENIM pactionibus partim utriuſque, partim alterius Pacis hujuſmodi, inter alia, bona Eccleſiaſtica aliaque ab Hæreticis occupata, illis eorumq; ſucceſſoribus in perpetuum addicuntur:* deinceps autem demum ſubjiciantur hæc: *Hæreticis Auguſtanæ, ut vocant, Confeſſionis liberum ſuæ hæreſeos exercitium in plerisque locis permittitur?* Prodit profecto heic Declaratio, Romæ primariam ſollicitudinem *de bonis* eſſe, de cavenda propagatione hæreſis non niſi ſecundariam. Tanqvam videlicet etiamnum ibi obtineat Horatianum illud:

O Cives, Cives! Quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Illum Curiæ animum vero clare dum prodit Declaratio, haud parum bonæ exiſtimationi Curiæ detrahit.

Ita porro curioſe omne illud recenſet, qvod qvoqvo modo poſſit videri Pacis qvenqvam Articulum ratihabere, ut erumpat in voces, qvales, aperte qvidem & diſertis verbis, hactenus vix atrocibus tyrannis ſunt uſurpatæ. Cujuſmodi ſunt, qvibus detrahitur vis omnibus omnino Decretis, privilegiis

vilegiis, pactis conventis, & Cæsarum Regumqve legibus. Hoc ipso profecto Declaratio prodit tyrannicum Curiæ ingenium, ac proinde sanctimoniæ Papalis famam omnem fere obliterat.

Haud parum etiam obscuravit existimationem Innocentii Papæ, apud rerum & actuum Imperii gnaros, qvod ille non dubitaverit statim initio suæ Bullæ jactitare: *zelo Domus Domini animum suum assidue commoveri; inque eam præcipue curam sedulo se incumbere, ut orthodoxæ fidei integritas atque Ecclesiæ Catholicæ dignitas & auctoritas ubique sarta tecta conservetur; neve ipse supremo judici rationem villicationis redditurus, negligentiæ in credita sibi administratione arguatur.* Hæc enim falso jactitari, & norunt & semper conqvesti sunt Catholicarum partium Germani. Exemplum enim Urbani secutus Innocentius, labascentes, imo tantum non collapsas, partium illarum res, etsi potuisset, opulentissimis proventibus instructus, identidem rogatus licet, non juvit ullo subsidio; sed tragœdiæ otiosum qvasi spectatorem egit. Qvod profecto per est alienum ab illo *zelo*, & ab illa *sedula cura*, qvam Bulla non verecundata est jactitare. Nota hæc sunt pæne in vulgus: non ignota certe omnibus rerum Imperii paulo peritioribus. Apud qvos omnes ergo isthæc Innocentiana vana

& falsa jactantia non potest non multum Papali existimationi detrahere.

VII Mitto alia illius Bullæ non minus noxia famæ Pontificiæ: præsertim qvum eorum nonnulla etiam deinceps veniant notanda. Non possum tamen dissimulare illud detrimentum, qvod suis anxiis, ut molliter dicam, formulis Declaratio isthæc Innocentiana peperit existimationi, qvam affectat Curia apud universum Ecclesiasticam: Utpote qvum tota fere sit in iis usqve adeo occupata, ut vix possis assequi qvid tandem sibi velit.

Enimvero, si non nisi ejusmodi ad rabularias fori formulas conscriptis Declarationibus & Protestationibus potestas Pontificium est salva, manifestum est niti illam solo positivo humano jure. In solis certe negotiis qvæ sunt positivi humani juris sollicitæ ejusmodi Protestationes & Declarationes, vim aliqvam habent, alibi nullam. At hominum arbitrariis constitutionibus niti duntaxat Pontificia illa, qvæ Declaratio sarta recta, ut ita loqvar, cupit reddere, repugnat juribus Vicariatus divini, qvalem Curia Romana unice jactitat: Imo adversatur & ipsimet huic Declarationi utpote qvæ Pontificia Jura Deo refert accepta. Ac proinde & illa qvæ præcesserat Fabiana Protestatio, & ipsa Innocentiana Declaratio, suspectum reddunt Romanum Vicedeatum. Qvod tamen non nisi ex hypothesibus

Romanæ

Romanæ Curiæ placentibus volo intellectum: haud ignarus scilicet, solis hominum constitutionibus omnia illa Pontificia stare, qvicqvid etiam divini Curia jactitet, id qvod infra fiet clarius.

VIII. Qvoniam ad hoc inter eos, qvi Religiosi audiunt, Jesuitæ sint omnium fidelissimi servi Romanæ Curiæ, sicut horum existimatio atqve auctoritas plurimum prodest, imo ut hodie sunt res Curiæ est summe necessaria, ira contemptus est noxius. Jam autem occasione Protestationum Fabianarum & Innocentianæ Bullæ, qvia illæ Jesuitarum præcipue consiliis, instinctu, & tantum non impulsu factæ, & tamen ab omnibus prudentioribus Catholicis spretæ sunt & rejectæ, non potest non apud prudentiorem qvemvis Jesuiticorum consiliorum auctoritas evilescere, aut magnam jacturam facere. Ac proinde hac qvoqve parte nocuit sibi plurimum Curia Protestationibus & Bullis suis. Apud prudentes inqvam damnum illud passa est Jesuitarum existimatio. Qvantumvis sane nonnulli adeo sint superstitiose stupidi, ut æqve nunc atqve ante Jesuitarum consiliis aures præbeant, idqve Jesuitæ meritò qveant suæ sectæ ceu alia similia solent miraculis annumerare, non tamen par stupor eorum qvibus cor sapit mentes occæcavit.

IX. Iis qvæ noxam simpliciter ac per se inferunt Romanæ Curiæ, jure præterea annumeraveris ipsam Decla-

Declarationis promulgationem editionemqve. Præ se fert enim Bulla, qvasi sit condita, statim anno qvadrageſimo octavo die sexto post viceſimum Novembris: edita vero demum est typis integro pòst biennio. Nonnulla exempla Romæ edita memorant: *ſolenniter* illam *publicatam tertio Januarii Anno Chriſti M DC LI Pontificatus Innocentiani octavo.* Omnes porro editiones, etiam Romanæ, per sunt mendosæ; ita ut commodum sensum qvamvis sagax lector in qvammultis vix assequatur, etsi & à me complura sint correcta. Videntur sane hæc haud injuria, arguere Curiæ Romanæ, in rebus etiam gravibus, insignem oscitantiam; si non & fidem suspectam reddant. Qvid enim illud est, qvod biennio integro sit publicano serior Bullæ confectione, qvodqve typis illa fuerit edita aliqvamdiu anteaqvam solenniter fuerit promulgata? Qvî adeo negligenter fuit habita, ut ipsa Camera Pontificia tot in eam menda irrepere permiserit? cum voluerit tamen Pontifex, Bullæ illius *Transſumptis, etiam impreſſis, fidem* plenam *adhiberi*, modò *Notarii publici ſubſcriptione, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, fuerint munita*; qvorum in officio non est ipsiusmet Cameræ Apostolicæ σφάλματα emendare. Qvid? qvod ipse Bullæ auctor nonnulla scriptionis vitia commiserit. Non sane feras illud *annos*, qvod in Romanis

manis & Florentinis editionibus legitur illo versiculo: *Sane cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures annos Osnabrugis.* Omnino enim vel delendum illud *annos*, ut vox *complures* possit referri ad illam longe qvamvis sepositam *articulos*, vel addendum aliquid qvo cum possit connecti illud *articulos*. Imo & interjicienda est vox *UNIUS Osnabrugis*, ut respondeat illi, *nec non alterius*. Ceu editor Batavus excudi curavit. Qvanqvam & nos conati simus nova interpunctione, secus atqve Romæ editum est; sensui commodo consulere.

Hisce ac similibus modis directe ac per sese suismet rebus innocentius Declaratione isthac nocuit. Obest vero Curiæ Bulla isthæc etiam per consequentiam: dum scilicet res Catholicas Germaniæ in discrimen conjicit, in quarum tamen salute verti haud leviter salutem ipsiusmet Curiæ, notum est prudentiori cuiqve. Nec enim temere quis improbas imò furiosas illas Ernesti voces probaverit: *Nec Ecclesia ideo peribit, si Deus â Germanis auferat regnum suum, & det genti fructum facienti illius.* Fit autem hoc, qvoniam irritâ declaratâ Pace promiscue omnes qvasi invitantur ad bellum civile concitandum. *Omnes* inqvam. Nec enim (ceu jam ante docuimus fine Tertii capitis) solis Catholicis pace reputa fas erit ad arma convolare, sed etiam

Protestantibus. Qvid si igitur hi, ducti opinione, per Bullam Papalem fractum esse Pactorum robur, captata oportunitate imperatos Catholicos inopinatò aggrediantur, imo forte opprimant? Quid si idem persuasi Catholici aggrediantur Evangelicos, & quidem infelici prout ante semper successu? Non speraverim alterum eventurum, communi qvidem omnium consensione. Imo verò vix dubito, semper fore in utrisque partibus sanctos pactorum observatores, qvìqve ea valeant prudentia: ut etsi Catholici sint Papalem tamen hanc Bullam tanqvam brutum fulmen contemnant: quamvis item Evangelici non temere sinistri qvidqvam de Catholicis melioribus suspicentur. Cum ea tamen sit humanarum rerum conditio, ut cupido potentiæ sæpius & prudentiam & fidem posthabeat, id utiqve verendum est, ne saltim qvidam alterutrius partis, prætextu illius Bullæ, cum oportunum fuerit visum, motus in Imperio concitent, & saltim in periculum universam conjiciant Germaniam, atque adeo & res Catholicas. Si ingenium hominum profecto videas, qvamdiu aliqva superfuerit illius Bullæ auctoritas, numqvam securæ erunt res Imperii, Catholicæ scilicet etiam ipsæmet qvæ hodie sunt reliquæ: non minus atqve securæ non erunt res Protestantium. Etiam hoc autem publicæ pariter privatimque non Germaniæ tantum sed & ipsi Curiæ

per-

pernicioſum eſt: utpote cum interſit omnium in univerſum, fidâ pace frui & ſolidâ tranquillitate, procul metu, procul inſidiis. Non pergam, operoſe periculum hoc & Romanorum partium & univerſi Imperii oſtendere: qvia res eſt liqvida, & jam tum ante nonnihil tacta.

Tantum ipſi Papæ accivit ſua Bulla malorum

CAPUT V.

Declarationem Innocentii eſſe in univerſum ſuis verborum formulis periniquam Cæſari, Regiq; Galliæ, cumprimis verò Reginæ Svecorum, Reipublicæ Venetæ, atque Imperii Principibus ac Ordinibus, Catholicis non minus quam Evangelicis, ſummè injurioſam.

DUm hactenus oſtendi, qvam Eccleſiæ Pontificiæ non neceſſaria, qvam non utilis, qvam deniqve ipſemet Romanæ Curiæ ſit pernicioſa Declaratio; non niſi, imprudenter admodum & cum damno proprio latam illam eſſe, demonſtravi. Proximum eſt ordine, ut etiam iniqvitatem illius demonſtrem, & qvidem *initio* in univerſum *deinde* nonnihil magis ſpeciatim. Quæ Altera pars eſt eorum qvæ agenda ſuſcepimus.

Manifeſta autem in communi qvidem eſt ini- I.
qvitas illa, *primum* ex inſolentia facinoris in Orbem Catholicum pene univerſum. Quoniam nem-

pe in Cæsarem, Regem Galliæ, & Catholicos Imperii Principes atqve Ordines, imo & in Legatum Reipubl. Venetæ qui mediatorem egit partium, id Declaratione isthac commiserit Innocentius, qvod omni caret exemplo, quodque numquam visum numquam est auditum. Nullo exemplo autem factam esse illam Declarationem, probavi *capite secundo*; sicut in *Consultatione* respondit ad dicta & facta Pontificum, Sanctorum Patrum, & Cæsarum ac Regum, qui ab Ernesto adducti fuerant quasi omnem cum Hæreticis pacem perpetuam olim damnaverint. Ad injuriam profecto illorum summam pertinet, talia pacta Principum, qualia nunquam antehac quisquam saltem publice damnaverat, editis tabulis, tanquam *divino cultui Religioni Catholicæ & Ecclesiæ Christianæ* adversa, in omnem orbem & ad omnem posteritatem proclamare, & quantum in se est irrita reddere. Nec vero qui talia committunt, & quidem diuturno ac deliberato consilio, quo utique Pax est constituta, Christianæ pietatis & Catholicæ fidei nomine merentur laudari. Si autem nihil insolitum fecerunt Catholici isti magni Cæsares Reges ac Principes, & si de eo quod fecerunt, hactenus omnes Papæ atqve universa sancta Catholica Ecclesia sic satis benigne judicarunt: non profecto meruerunt illi, ut novo in eos exemplo tam atrociter animadverteretur, sed magna illis facta est injuria. Ini-

Iniqva *Secundo* est sigillatim Declaratio isthac insolentia sua in Germaniam. Eodem enim tempore qvo nostra, confecta quoqve pax est inter Hispanum & Fœderatas Septem provincias. Per illam idem patiuntur res Pontificiæ & Catholicæ qvod per nostram. Ne verbulo tamen, quod qvidem hactenus innotuerit, sive per Nuncium suum Fabium, qui præsens adfuit, sive qvo alio modo, Paci isti contradixit Innocentius. Quod itaqve uni Germaniæ nostræ Paci insolito exemplo ita est adversatus, qvam aliam caussam dixeris, quàm forte, qvod Hispanum veritus ne mutire qvidem sit ausus, in Cæsarem vero Gallum & Germaniæ Principes sibi qvidvis licere existimaverit? Qui contemptus pertinet profecto ad Imperii & Gallici regni injuriam.

Eadem Insolentia haud leviter, quamvis tacite, perstringit etiam omnes quotquot Innocentium antecesserunt Pontifices, eorumque sanctimoniam & rectam Ecclesiæ curationem vocat in suspicionem. Si enim *zelus domus Dei* expressit Innocentio Declarationem istam (id qvod statim initio illa jactitat) profecto defuit zelus iste antecessoribus. Hi vero neutiqvam minorem curam rerum Ecclesiæ suæ ostentarunt: multi eorum ita sese gessere, ut Innocentium longissimo intervallo superaverint; quales utique fuerunt Pius IV & V, Gregori-

us XIII, Sixtus V, Clemens VIII, Paulus V & Gregorius XV. Nemo horum videlicet pacem Germaniæ more innocentiano damnavit: etsi eadem fuerit Ecclesiæ Catholicæ ac Papalium rerum necessitas, qvæ est hodie. Detrahere autem illorum Pontificum famæ aliqvid præ zelo Innocentii, hoc vero est illos contumelia afficere. Nec sane *zelus* illis defuit, etsi forte defuerit recti *scientia*. Id qvod *Tertio* loco meretur annotari.

Plane improba *Quarto* sunt etiam illa in qvibus magna Declarationis pars est occupata, in id ut præcidatur quicquid obtentui possit esse servandis necessariò pactis. Non contentus enim Pontifex irrita illa pacta reddere, qvasi vitio inita ab iis qvibus ita paciscendi facultas defuit: si quid illis faveat, vel ab ipsa Sede Pontificia aut etiam in Conciliis universalibus definitum, vel longo usu stabilitum, *sive juramento, aut confirmatione Apostolica, aut qualvis firmitate alia roboratum*, id omne sine discrimine invalidum & nihili pronunciare non dubitavit. Jam vero, illa pacta Pacis improbari ita meruerunt, vel propterea qvod adversentur Naturæ aut Divino juri, vel quoniam positivis hominum institutis minus bene consonant. Si prius est verum, graviter profecto ipsemet Papa lædit Decreta Conciliorum, etiam Oecumenicorum, & ipsius-met Sedis Romanæ, tacite illa insimulans quod patro-

trocinentur interdum iis quæ Naturæ aut Divino juri repugnant. Certe in illam suspicionem ipsemet Decreta isthæc suis anxiis cautelis vocat. Absque illo sane si fuerit, frustra & inepte illæ cautelæ Declarationi insertæ sunt. Si verum est posterius, multò maxime fuerit improbum & iniqvum, violatarum forte nonnullarum positivarum legum causſa, tollere robur non tantum ipsarummet Pontificiarum constitutionum, Sed etiam Canonum Conciliorum Universalium, Usuum & Consuetudinum, Legum Imperialium, Statutorum municipalium, Conceſſionum deniqve ipsarummet Pontificiarum, quamvis sanctissime & religiosissime promissarum imo juramento stabilitarum. Non disputabo nunc, num qvæ horum faveant Pactis nostris publicis, nec ne. Hoc urgeo, qvod Pontifex etiamsi omnia vel quædam horum faveant, tamen irrita & hæc velit, tantum qvo Pacis validitas infringatur.

Non me latet, fas esse summæ cuiqve potestati, leges latas ut condere ita & tollere : non licet tamen hoc nisi intra limites tuæ reipublicæ, nec licet nisi quando id exigit majus commodum. Esto igitur, Papæ competere summam in Ecclesia potestatem ferendarum pariter abrogandarumqve positivarum legum non competit tamen ipsi jus, Legibus Imperialibus & Statutis municipalibus, itidem

dem à ſummis poteſtatibus civilibus conſtitutis, auctoritatem ſuam detrahendi: non etiam reſcindendi Conceſſiones ſuas, ſive ſua cum aliis pacta conventa, utpote quæ omnia ſint poſita extra limites ſuæ qvam jactat Eccleſiaſticæ reipublicæ. Si ſane & hæc mutare arbitrii Papalis eſt, omnis qvoque civilis poteſtas directe ipſi fuerit ſubjecta, atque adeo Reges & Principes non niſi magiſtratus fuerint, ſubditi nutui paparum. Quod quidem à Curia Romana ejusque aſſeclis ſcio probari: ſcio tamen pariter, ab omnibus qvibus aliqva eſt rerumpublicarum cura, tamqvam impium dogma & evertendis rebuspublicis aptum, non ſine quadam abominatione rejici. Scio itidem, à Curialibus jactitari, non teneri Papas pactis conventis: ex adverſo haud etiam ignoro, à prudentioribus ac melioribus qvibusque præclare & fortiter aſſeri, illam jactantiam ipſum æternum Naturæ jus &, qvæ inde manat, fidem & juſtitiam, funditus tollere. Hæc omnia autem Innocentius ſibi, etſi non aperte, tamen tacite in hac Declaratione tribuit.

Porro, ceu ante dixi, non licet cuiqvam Summæ poteſtati leges obrogare, niſi id juſſerit reipublicæ utilitas. Cumque duo ſint rerumpublicarum genera, aliud Dominantium uſui præcipue conſtitutum, aliud commune populi ſuniverſi ex æqvo commodum qværens; in poſteriore genere licentiam

tiam mutandi leges communis populi utilitas definit. Posterioris autem non prioris generis rempublicam Ecclesiasticam Papæ à Deo esse commissam, solet ipsa Curia confiteri. Hinc verò consequens est, non esse fas Pontifici, Constitutiones proprias Curiæ, Conciliorum Canones, aut Consuetudines longo tempore firmatas, vi atqve auctoritate sua privare, nisi evidens & maxima quædam utilitas postulaverit. Cæterum ea sane utilitas ex rupto Pacis pacto non potest sperari, quæ superet commodum, qvod ex sancta observatione Canonum Ecclesiæ universalium, & Constitutionum ipsiusmet Curiæ nascitur. Certe etsi octavus Electoratus observetur in Germania nec ne, nihil Ecclesiæ, Curiæ parum refert. Et tamen quantum formulas Declarationis audimus, si quis Canon Oecumenici concilii, si quæ constitutio ipsiusmet Apostolicæ Sedis, si qvæ consuetudo, si quod pactum conventum, Cæsari & Ordinibus Imperii permittat octavum Electoratum instituere, id omne irritum potius esse debet, quam ut ille novus Electoratus admittatur. Similiter saltem pleræque aliæ pacis leges pertinent ad opes & divitias Curiæ. Frontem hominis viderim, qui opum illarum possessionem utiliorem Ecclesiæ dicere ausit, quam Canonum & Decretorum & consuetudinum illibatam observantiam.

Enimvero anxiæ illæ Declarationi insertæ, paragrapho *Non obstantibus*, formulæ, etsi Curiæ sint familiares, nec sola Declaratio iis laboret, arguunt (si licet hîc verum fateri) ingenium tyrannicum & dominatum plusquam herilem. Imo verò vix invenias tyrannum adeo impudentem, qui ejusmodi formulis uti haud erubescat. Ut proinde Declarationis iniqvitas & impietas, si non aliunde, saltim hinc queat patescere.

V Ad Imperium Germanicum si oculos flectamus, apparet item Declarationis illius summa iniqvitas. Et qvidem meretur *Quinto* loco numerari, qvod sui Fabii illas voculas, Pacis pacta esse à *non habentibus potestatem* composita, Innocentius approbaverit. Id sane ad injuriam pertinet universi Imperii. Omnis nimirum perfecta, sibi constans, suique juris respublica, illa omnia constituendi habet potestatem, sine qvibus civilis felicitas neqvit obtineri. Jam autem impossibile est, ut civilis aliqva societas sibi constet aut ejus felicitas obtineatur, nisi prædita illa sit arbitrio in usum suum constituendi ea, de qvibus Pacis legibus conventum est. Dum negat igitur Pontifex Imperio hanc potestatem, simul eo ipso αὐτονομίαν & αὐτοκρατορίαν Imperio derogat, atqve adeo eripit illud, qvo vera & libera civitas censetur, qvod est αὐτόνομον esse, αὐτόδικον & αὐτοτελές, ceu recte definit Thucydides. Hæc autem eripere, reapse

pse est majestatis crimen committere. Et verò si Papa est unicus arbiter eorum de quibus ille in Declaratione conqueritur, fuerit penes illum summa potestas, universi Imperii saltim indirecte, maximæ Imperii partis etiam directe. Opulentissima certe & pingvissima Imperii portio in bonis Ecclesiasticorum collocata est. Electorale item jus inter potissima est. Religio ipsa est sanctissimum Imperii vinculum. Horum autem arbitrium directe sibi uni in Declaratione vendicant Innocentius. Ab hisce autem quicquid est reliquum dependit; atque adeo & illud saltim indirecte sibi Papa arrogat. Id quod profecto conjunctum est cum summa in Imperium contumelia.

Periniquum *Sexto* facinus Declaratione sua VI
commisit Papa, dum qvod unicum est Pacis Germaniæ remedium, id rumpere, & civile bellum, post triginta pene annorum feralem flammam adhuc fumigans, denuo accendere pro virili allaborat. Certe neminem nisi improbum non misereat Germaniæ inter cineres suos nonnihil primum respirantis: atq; adeo nemo probus non velit penitus illam flammam extinctam, quam humanus cruor tot anno aluit. Qvanto magis autem oportebat illo esse animo eum, qui sese Christi Vicarium, Ecclesiæ communem Pastorem, sanctissimum Patrem orbi venditat! Utique impium est, invitos ad arma

iterum nos cogere, idqve propter res qvas nullius aut exigui certe ad Ecclesiæ salutem pretii esse, soli vero fastui Curiæ servire, in propatulo est. Non agam per partes. At verò illa de bonis Ecclesiasticis qvæ appellant, de honore civili Hæreticis habendo, de precibus primariis, de annatis, de reservationibus, de turnis, de octavo Electoratu ac similia, non profectò ea sunt, ut propterea Papa, sanctissimus ille Pater, velit jubeat pacis pacta rescindere, & ad arma iterum conclamet. Largiamur enim, perire Pacis pacto jura nonnulla & bona Pontificiæ curiæ. An fas est, propterea miserrime jam tum afflictam Germaniam in bellum civile iterum cogere? Non is profecto erat animus S. Ambrosii, quum diceret: *me (si de meis aliquid poscatur, aut fundus, aut domus, aut argentum) & id quod mei juris est, libenter offero. Si tributum petit, non negamus: agri Ecclesiæ solvant tributum. Si agros petit Imperator; potestatem habet vindicandorum. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam: tollant eos si lubitum est.* Non erat is animus S. Gregorii Nazianzeni, quum diceret: *Si quomodocunque dissidii causa sum, Jona Propheta venerabilior non sum. In mare me projicite, & tumultuum procella vobis relictis ponet. Utut à culpa immunis sim, concordiæ vestræ caussa, quicquid elegeritis, pati elegerim. Throno deturbate;*

bate; urbe expellite: veritatem duntaxat pacemq;, prout Zacharias dixit, amate. Non is erat S. Clemens Romanus Episcopus, quum communi Ecclesiæ Romanæ nomine scriberet Corinthiis: *An quis inter vos generosus? quis ad misericordiam moveri facilis? quis charitate confidentior factus? Dicat; si propter me seditio & contentio & schismata excitantur, secedo, abeo quocunque volueritis, quæque à multitudine præscripta fuerint facio; ovile solum Christi pace cum constitutis presbyteris fruatur.* Non is erat S. Apostolus Paulus, qvi *lubentissime volebat impendi & superimpendi pro animabus fidelium.* Non deniqve is erat S. Petrus, cujus successores se jactant Romani Papæ: qvi *aurum & argentum non habebat*; qvi ut Christum posset sectari *omnia reliquerat*; qvi Simoni Mago aurum & argentum offerenti respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Quæ verba utinam non & Innocentio ejusqve Fabiis conveniant! Hi vero utinam qvoq; sibi dicta credant illa! *Non est tibi pars neq; sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo: Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & nexu iniquitatis video te esse.* Quàm longe porro Innocentius distat à bono qvolibet pastore, qvi vitā suam pro ovibus redimentis solet impendere!

Qvam infinite à Christo, cujus tamen vice fungi sese in hisce terris non erubescit jactitare!

Neqve verò est quod excuses Innocentium, quasi non solum propter divitias suas, sed etiam in propagationem fidei Catholicæ, bellum civile excitatum velit. Utique enim etiam propter bona sua hoc voluit, & quidem illa primo loco collocavit. Nec usquam sive Christus, sive Apostoli, sive Sancti Ecclesiæ Patres docuerunt, fidem bello propagandam esse. Novum & hoc est Curiæ dogma, omni antiquæ Ecclesiæ incognitum imo adversum; ac proinde non minus impium atqve illud prius, etsi apud imperitos zelotas aliquam recti speciem justiùs præ illo priore inveniat.

VII Quanta *Septimo* est injuria, quod cum multa saltim in excusationem Cæsaris & Catholicorum Germaniæ Principum dici & potuissent & debuissent, omnibus illis dissimulatis, Declaratio tota sit occupata in recensendis iis, quæ perperam ab illis gesta & conventa credi voluit Innocentius! Et verò in illa pacta haud venere Cæsar aliique Principes illi, nisi demum post clades plurimas, post erepta jam magnam partem illa, quæ per pacta concessa sunt, post spem armatæ sane recuperationis amissorum abruptam, in periculo tantum non certo amittendi & ea quæ adhuc supererant, in omnium virium summa imbecillitate, nullis aliunde

suppe-

ſuppetentibus auxiliis, in media denique flamma divinarum humanarumque rerum Germaniæ. Inviti certe & ægre admodum, nec niſi igne & armis per complures annos fracti, Pacem illam iniverunt. Nec temere ita convenerunt, ſed conſultis ante, & qvidem freqventer conſultis, conſcientiæ tutandæ cauſſa, Theologis ſuis, viris longe præſtantiſſimis; hisque tandem Pacem licitam pronunciantibus. Quantâ cum curâ ſanè Theologorum reſponſa Cæſares Ferdinandi exqviſiverint, non paſſus eſt ignorare orbem, utiliſſimi operis *de Pace Prodromo* Caramuel, Vir & ipſe ut genere ita multiplice atque haud vulgari doctrina, candore, & dignitati eminens. Hæc profecto, etiam ſi qva parte fuiſſet à Cæſare & Principibus Catholicis in pangenda cum Proteſtantibus pace peccatum, facere ad illos ſi non plane ſaltim multum excuſandos, manifeſtum eſt. Intereſt itaqve famæ Cæſaris & Principum, rem hanc omnem ad hujus orbis & poſteritatis conſcientiam traducere. Ad injuriam contrà illorum pertinet, iſthæc omnia diſſimulare, atque ita de Pacis pactionibus diſſerere, qvaſi horum nihil anteceſſerit. Multò maxime verò illos gravat, ſi id fiat à Pontifice, qvi haberi vult & à quammultis creditur Vice Deus infallibilis. Qvam ſiniſtre ſanè judicabit poſteritas, aut hæc noſtra etiam ætas, de Cæſare & Principibus, lecta Pontificis

cis Bulla, de cætero autem gestarum rerum imperita! Tam siniſtræ vero famæ Innocentius utique Declaratione sua auctor est.

Quicquid *Octavo* dixerit cum suis Fabiis & Erneſtis innocentius, & licet neceſſitate urgente ejusmodi Pacis pacta cum peſſima quamvis hæreticorum gente inire, & extrema neceſſitas urſit rem Catholicorum, quum Pax iniretur. Prius illud præclarè profecto (ut alios taceam) demonſtravit Caramuel æternaturo & numqvam ſatis prædicando volumine. Irenæum qvoqve meum ab omnium adverſantium telis immunem præſtare non dubito. Poſterius uno ore faſſi ſunt Cæſar, Princeps, & qvotqvot per Germaniam in civilibus belli & pacis actibus verſati ſunt. Quibus utiqve longe potiùs eſt credendum, qvàm Romanæ otio & luxu marceſſenti Curiæ, qvæqve mala Germaniæ non niſi pingvi aure accipit, ex fama, aut zelotæ alicujus, ſive religioſi ut vocant, ſive Epiſcopi, qvalis fuit Auguſtanus Cnöringius, ſive Nuncii narratiunculis. Ita præterea Declaratio conſcripta eſt, ut non appareat, num velit, haud eſſe fas in ejusmodi pacta urgenti neceſſitati cedere, aut num neget, eam fuiſſe Imperii rerum neceſſitatem, qvæ pacta illa exegerit. Multùm intereſt autem, hoc aut illud ſentias: num-ve hoc an illud vero ſit conſentaneum. Diſtincte proinde docendi fuiſſent à ſummo Paſtore Catholici,

lici, an necessitatis lege nullum ejusmodi pactum fiat licitum: An vero demum necessitas illa rerum defuerit. Sane cum Papa circa morum & fidei universales dubitationos infallibilis arbiter, in reliquis errori, communi mortalium sorte, obnoxius existimetur, Declarationi prius definienti tutò Catholici fidem forte adhibuerint, posterius verò asserenti Pontifici credere secure non licet. Certe injurius in Catholicam Germaniæ Ecclesiam fuit Innocentius, non expresse satis sententiam suam exprimens: præsertim qvum de priore acerrima fuerit inter Theologos controversia, aliis cum Ernesto aliis cum Caramuele facientibus. Injurius etiam idem fuit in Cæsarem & Principes Catholicos, si testantibus illis de extrema rerum suarum necessitate noluit credere: qvasi videlicet haud fuerint illi fide digni testes malorum quibus premebantur. Quod si verò simul etiam hoc voluit indicatum, nulla necessitate ejusmodi pacta excusationem invenire, (qvod per videtur viriſimile voluisse, ex sententia scil. Ernestinorum, qvam Fabius Nuncius acerrime propugnavit) injustissimum profecto dogma asseruit Papa. Necessitati sanè etiam hactenus cedere licere, liquidum reddidit Caramuel; quem unum consuluisse sufficit. Neminem autem Catholicum scriptorem, idem cum Innocentio qui asseruerit, omni exævo produxeris. Ex adverso omnes, quot-

qvot fuere primitivæ Eccleſiæ Epiſcopi Catholici, conſenſu ſuo oppoſitam ſententiam ſtabilivere. Id qvod qvoniam & ab Irenæo *Sect. 3. reſponſione ad rationem IIX* brevius qvidem ſic tamen ſatis eſt oſtenſum, non eſt quod huic rei amplius nunc quidem immoremur.

Inſigni *Nono* injuria afficiuntur omnes Evangelici, dum non tantum Hæretici proclamantur à Pontifice, ſed tales Hæretici, quibus non ſit fas (publicæ etiam Pacis cauſſa) concedere ſacrorum ſuorum uſum, inque id exſtruendarum ædium poteſtatem facere, qviqve adeo extrema meruerunt. Jam veteres qvidem hæ injuriæ ſunt. Et ſolent jamdudum Pontifices, nullo facto diſcrimine, in omnes omnino qvos hæreticorum nomine infamant, ferro & igne, perinde ut in ſceleſtiſſimam mortalium turbam, animadvertere; idq; contra primitivæ & aureæ Eccleſiæ mores ac perpetuam ſententiam; utpote qvæ ſemper olim crediderit, vel ſimpliciter ab omni vi in quamlibet hæreſin abſtinendum eſſe, vel nonnullos quidem libertate ſacrorum interdici jure poſſe non tamen omnes; publicæ neceſſitatis autem cauſſa nullam fere earum non jure permitti, exiſtimaverit. Qvam rem alibi prolixe perſecuti ſumus. Qvod nihilominus ſævientium Paparum immanitatem probare etiam Innocentio tuerit viſum, cum ſumma noſtra eſt injuria con-

conjunctum. Et vero, ne nunc urgeamus qvod Hæreticos nos pronunciet; non profecto vel ex iis quæ nobiscum nata sunt principiis, vel ex divina revelatione (qui duo sunt omnis humanæ scientiæ modi) didicit ille, nos deteriore conditione haberi oportere, quam olim suos Novatianos, aut suos Donatistas, aut suos Ariomanitas prisca Ecclesia habuit. His autem, nulla exigente necessitate, suarum θρησκειῶν licentia sic satis diu Permissa est: ceu alibi ostendimus. Minime omnium docuerit, nos superare improbitatem omnium hæreticorum: & tamen nullis non horum, postulante publico commodo, sua quies olim & tranquillitas florentibus Ecclesiæ rebus relicta est.

Huic injuriæ *Decimam* merito annumeraveris Serenissimæ Reginæ Svecorum Christinæ factam. Potiebatur illa tum temporis rerum in Regno Sveciæ non minus atque Ferdinandus III Cæsar in Imperio, & Ludovicus XIII in Gallia: Christinæ tamen nomen nusqvam in Declaratione comparet, sed *Suecorum* quasi Regia dignitate carentium. Qvod tamen factum esse in gratiam Poloniæ Regis nemini non subolet: quasi videlicet penes hunc jure fuerit Regia dignitas, Christina illum titulum non meruerit. At verò illam agnoverunt Svecorum Reginam Cæsar, Reges Galliæ, Hispaniæ, Daniæ, imo ipsiusmet Poloniæ, nequid dicam de aliis

universi orbis summis potestatibus. Quod Inocentius itaque unus neget, id quod omnes agnoscunt, id profecto haud vacat eximiâ injuriâ. Præsertim cum Friderici III Cæsaris Legatis responderit quondam Pius II Papa: *morem esse Apostolicæ Sedis eum Regem appellare qui Regnum teneret:* ceu legitur in commentariis illius *l. 2.* Quid; quod hodie Christina ab ipso Alexandro VII omnique Romana Curia Svecorum Regina salutetur, non mutato regnandi jure? Nisi fortè ab Alexandro id mutatum sit; cujus nulla ipsi facultas, nullum jus competit.

Caput VI.

Ostenditur porro iniquitas declarationis Pontificiæ, etiam ex eo, quod pridem fuisset jam extinctum jus Papale omne in illa, quæ Pacis utroque pacto Evangelicis concessa sunt.

Proxime multas injurias quibus scatet Declaratio, magis in communi tamen, persecuti sumus: consequens nunc est, ut magis speciatim non-Nihil Declarationis illisus iniquitatem oculis cunctorum exponamus. Id omne autem clarissimum fiet si demonstremus, Papæ non competiisse facultatem, deiis qvæ Pacis utroqve Pacto Evangelicis concessa sunt, protestandi aut illa irrita reddendi.

Ita sane patebit, summe iniqvam Declarationē esse.

Ut autem etiam hoc à nobis ordine fiat, *Primum* docebimus, Papam tempore conditæ Pacis non habuisse aliquid juris in illa, de quibus conqueritur, & Germanicæ reipublicæ competiisse eminentem ac summam potestatem de iis ipsis ex usu publico constituendi. *Deinde* ostendemus, quædam eorum sibi Papam nulla æqvi specie arrogare. Et verò *Prius* si verum est, utique facta est Pax ab iis quos penes liberum paciscendi arbitrium fuit: ac proinde non competiit Papæ facultas illam rescindendi, aut adversus illam protestandi, qvippe cum neutrum horum locum inveniat, nisi incontractibus inter eos initis quibus contrahendi potestas defuit. *Posterius* ubi demonstratum fuerit, simul patebit, saltim illa in quæ Papa falsò sibi aliquid arrogavit, non potuisse ab illo irrita reddi, sed istis suis iniquis conatibus summam injuriam Imperio Germanico Papam retulisse. Cæterum totum illud *Primum* manifestum reddi potest duobus modis: si probatū scilicet fuerit, *aut* illa jura qvæ fortè habuit Papa, quo tempore condita est pax jam fuisse amissa *aut* etiamsi illa adhuc superfuissent Imperio tamen Germanico fuisse integrum de iis disponere prout postulavit publica necessitas. Itaque ne qua nascatur in disputando obscuritas, strictim ordi-

nem hunc omnem obſervabimus, Et nunc quidem faciemus initium ab eo, qvod Papæ nihil juris tempore Pacis conditæ ſuperfuerit in ea de quibus fuit ille proteſtatus.

Ut autem demonſtrationis noſtræ robur percipiatur, ante omnia conſtituendum fuerit; jura illa Papalia de quibus jam agitur, non aliquo ſingulari divino beneficio cœlitus Papis olim collata, ſed mere humanis modis acquiſita, atque adeo receptis hominum inſtitutis fuiſſe obnoxia. Longe aliud tamen perſvaſum hominibus voluit cùm Pontificis Nuncius Fabius, tum ipſe Innocentius Papa in tabulis ab ſeſe publicatis. Et enim ille quidem in proteſtatione ſuâ ſecundâ non dubitavit iſthæc jura omnia, ceu à Cæſareis vel humanis diſtincta, ſoli Deo, Chriſto, & Catholicæ Eccleſiæ attribuere: Innocentius autem diſertis item verbis vindicationem iſtorum ſuorum incumbere ſibi profeſſus eſt, *pro commiſſi ſibi ex alto Paſtoralis Officii debito*, cum jam ante dixiſſet: *ſeſe jurium Eccleſiaſticorum à Domino conſtitutum eſſe Aſſertorem.* Si hæc autem ita ſeſe habeant, omnia iſthæc, de quibus ſibi ereptis *P*apa prolixe in ſua Bulla eſt conqveſtus, ac proinde & *Annatæ*, *Jura Pallii*, *Confirmationes*, *Menſes Papales* ac *Reſervationes*, ut & jus Electoralem in Germania numerum vel ſervandi vel augendi, fuerint divinitus *P*apis conceſſa.

&

& qvidem una cum *Officio illo Paſtorali* quod Papa tanquam Petri ſucceſſor & Chriſti Vicarius in terris hiſce obtinet. Cæterum etſi verba talia & Fabius & Innocentius ſine omni verecundia fulminaverint; non crediderim tamen, quenqam temerè auſurum ſuſcipere defenſionem eorum, ſi hoc quidem crudo ſenſu illa accipiantur. Mihi ſane notus eſt nemo, qui hactenus apertè profeſſus ſit, illa omnia ſingulatim præ rebus aliis Chriſto atque ita & Chriſti Vicario competere, vel omnia iſthæc involvi illo qvod Chriſtus Petro dixit, *Paſce oves meas.* Fortaſſis tamen quisquam inveniatur: cùm conſtet, ab Hildebrandi usque tempeſtate omnipotentiam monarchicam *Paſtorali officio* cæpiſſe ſignificari, & haud dubie juxta iſta Curiæ Romanæ familiariſſima placita ſint Innocentius pariter & Fabius locuti.

Non patitur inſtitutum hoc loco multis illud argumentum agitare. Sed & ſufficit nunc provocaſſe *ad unanimem conſenſum Patrũ*; contra qvem *ſcripturam ſacram interpretari* diſerte vetuit ipſummet Concilium Tridentinum Seſſione quarta. Enimvero unanimiter in eo omnes veteris Eccleſiæ Patres conſentiunt, τὸ ποιμαίνειν hîc nihil aliud ſignificare, quam illud paſcendi genus quod fit prædicatione verbi divini; qvi Hildebrandicè interpretatus ſit, reperitur ne unus quidem. Adhoc ipſimet maximi

ximi Hildebrandici, illud Sanctissimi Apostoli Petri primæ Epistolæ cap. V. omnibus promiscue Presbyteris datum præceptum: *Pascite quantum in vobis est gregem Christi*: de sola illa pastione quæ prædicatione verbi divini & bono exemplo fit, interpretari solent: ac proinde, nisi propria velint vineta cedere, ad alia neutiquam oportet trahere atiam illud Salvatoris nostri ad Petrum: *pasce oves meas*. Igitur, utut concesserimus uni S. Petro datum esse jus pascendi universam Ecclesiam imo mundum omnem, & hoc *Pastorale officium* devolutum esse ad solos Papas Romanos, Innocentium porro fuisse verum S. Petri in omni isthac dignitate successorem, (qvorum nihil tamen hactenus est unanimi Ecclesiæ sententiâ comprobatum) manifestum utique est, ad *Pastorale Pontificis Officium* non pertinere, quicquid præter illud *Officium* Innocentius sui juris esse haud dubitavit affirmare; ac proinde iniquissime, imo impiissime, etiam illa sibi vindicasse, tanquam solo divino beneficio sibi, ceu S. Petri successori & Christi Servatoris nostri vicario, competentia.

Licebit igitur jam & nobis ceu ratum & certò constitutum admittere: uno illo genuino *Pastorali Officio* excepto (hoc enim, ne disputationem moremur, jam quidem largimur) quicquid quondā possederunt in Germania hac nostra Papæ, illud omne huma-

humano duntaxat modo fuisse possessum. Hinc verò consequens est: quamvis merè divina instituta non sint obnoxia positivis hominum legibus & consvetudinibus, atqve adeo nec præscribi illis juribus qvantumvis longissimo tempore possit, non tamen eam divinam auctoritatem ac dignitatem fas esse ad reliqva etiam omnia extendere.

Qvin igitur jam tanqvam extra omnem controversiam collocemus in hypothesin: Qvæcunq; non nisi humano jure possidentur, illa eorundem jurium vi & more ab omnibus sine discrimine mortalibus amitti, idque non minus Papam qvam reliqvum mortale genus obligare. Utut nempe fortassis Papæ divinitus sit data controversias morum & fidei definiendi facultas, quicquid reliqvum tamen ille habet id omne deberi humanis positivis constitutionibus. Hinc conseqvens autem est, omne qvod præter divinam illam definiendi facultatem tenet Papa, amitti ab illo posse secundum jura & consvetudines in mortali genere universo receptas.

Hisce verò jam positis, non dubitamus profiteri, pridem ante Innocentium Decimum Papam jam fuisse perdita, qvæcunque antehac, sive jure sive injuria, circa ea quæ Evangelicis vi Pacis sunt concassa, Papæ possederunt. Et *primum* qvidem credimus illa omnia periisse, propterea, qvoniam à Papis 1

ipsismet fuerunt relicta & qvasi data cuivis occupanti. Est nimirum receptissimi passim juris, Naturalis pariter & omnium gentium, Derelictione amitti etiam justissimam rerum possessionem, Derelictionem autem factam præsumi, si cum possis & debeas rem ab interitu servare, nihil moveas, sed quasi otiose eam spectes interire. Jam verò etsi in summo versarentur discrimine, imò in Protestantium potestatem delaberentur Catholicorum per Germaniam res, atqve adeo & Pontificia circa res illas jura, non Urbanus tamen non Innocentius Decimus commodo auxilio ruinam minantibus adfuerunt; sed etsi spectarint eorum interitum nihil tamen moverunt, qvamvis à Cæsare & aliis Principibus sæpius rogati, ex Vaticano suo quasi alto supercilio omnia isthæc despicientes. Hinc sanè contra Urbanum non dubitavit Hispaniæ Rex Philippus jam tum anno triceſimo secundo, die octavo Martii, per Cardinalem Borgiam, quasi solemni ritu protestari, teste Henrico Spondano Apamiarum Episcopo: *quicquid detrimenti Catholica religio pateretur aut passura esset, non ipsi Philippo sed Pontifici adscribendum fore.* At vero ita sese gerere, hoc reapse est rem derelinquere. Dereliquere proinde jura sua Pontifices qvæ habuerunt, eorumque omnium possessionem ex consequenti summo merito amiserunt.

Præ-

Præter illud primum autem datur & *Alterum* fa- II.
ctæ perditionis certissimum argumentum. Qvandoquidem nimirum ante constitutam pacem, bona illa Catholicorum, quibus jura sua annexa habuit Pontifex, (ut alios legitimos possidendi modos taceam) jamdudum justis armis & sanguine sibi vindicaverant Protestantes, utique lege gentium communi quicquid habuerant jurium Papæ illud dudum ii amiserant. Haud nescio, consensu gentium etiam illa censeri jure victoribus cedere, qvando bellandi causa *moraliter justa* non præcesserit, modo bellum solemniter fuerit gestum. At verò Protestantium arma non solemnia duntaxat fuerant, sed saltem contrà Pontifices moraliter qvoqve justissima: quoniam scilicet secundum decreta Pontificum in hæreticos novissima qvævis licet statuere, & proinde etiam cuivis potentia sua freto data jam fuerat potestas ferro & igne non in bona duntaxat illorum sed etiam vitam ipsam animadvertendi. Saltim igitur à parte Romanæ Curiæ jam clarigatum pridem fuerat. Hinc verò consequens omnino est, etiam Protestantibus fas fuisse hostilem in modum Papalia qvævis bona persequi. Et vero hac ratione non minus Ecclesiastica qvæ appellantur bona qvam alia dominium pristinum perdere: atqve adeo Ecclesias, collegia sacra & monasteria bello capta extingui, ut loqvuntur; usqve

est adeo notum, ut adversus monachos præclare id defenderint ex ipsa Jesuitica Societate cum alii tum inprimis Conzenius Laimannus, Forerius & Crusius. Quæ in universum autem bonorum, & quidem etiam Ecclesiasticorũ, est ratio, eadem est ratio jurium Papalium, quicquid Jesuitæ tricentur. Recte sanè Caramuel Pacis Licitæ pag. 16. *Forerius & Crusius aliique, dum nimium volunt extollere dominium Apostolicæ Sedis, videntur nimium detrahere Cæsari; & argumentis uti, quibus & ipsi obnoxii sunt. Nam rationes quæ probant bona veterum monasteriorum deperiisse, Ordini Benedictino verbi gratia; ipsæ etiam probant eadem bona Apostolicæ Sedi deperiisse: & quæ contra illa ad Sedem Apostolicam, etiam eadem ad Benedictinum Ordinem illa bona spectare persuadent.* Legi porrò merentur quæ idem Caramuel differit *pag. 15.* ex sententia Austriacæ Hispanicæ & Bavaricæ aulæ, de bonorum Ecclesiasticorum extinctione. Certe postquam justis armis erepta sunt illa quamvis vetera Pontificum jura, jam anteqvam Pax constitueretur perierunt illa. Ac proinde de iis constituendi libera fuit Reipublicæ Germanicæ potestas. Id qvod erat demonstrandum.

VIDENTUR tamen fortassis (ne qvid dissimulem) pro Pontificum causa tria adhuc adverri posse.

1. *Primum* enim ne Urbanus qvidem possit videri nihil

hil egisse. Ita sane de illo scribit is quem ante testem laudavi Spondanus ad annum tricesimum secundum. *Anxie has turbas ferens Urbanus Pontifex nihil non agebat, literis, hortationibus, legationibus, quo illæ componerentur, & Barbari* (Svecos intelligit) *pellerentur: pecuniis etiam submini-stratis: denique frequentibus Jubilæis iram divinam placare, & opem ejus implorare, tam per se quam per Christianos populos satagens.* Videtur *Secundo* non Papam sed Cæsarem teneri defendere II. Papalia jura, quoniam est Romanæ Ecclesiæ Advocatus quem appellant. *Tertio* deniqve, Bona Ecclesiastica non possunt nisi centum annis præscribi: etsi igitur forte Urbanus & Innocentius minus debito curaverint Romanæ Ecclesiæ jura, ipsimet tamen Ecclesiæ illorum negligentiâ nihil periit, tam exiguo videlicet temporis spacio. III.

Verum enimvero *pecuniis* juvisse Catholicas Germaniæ res Urbanum, quod scribit Spondanus, non est vero consentaneum. Hinc cum Spondani, illa recitaret Caramuel *Pacis Licitæ pag. 280*, indignabundus margini libri adjecit: *Pecuniis submi-nistratis? Sed quibus? Cæsari & Catholico Imperio? Ne urgeamur obsecro: sufficit quod taceamus.* Verbis ipsis Spondani subjunxit inter alia: *Omisi marginales notas, quas calamus Germanus adscripserat ad illa verba, pecuniis subministratis, ad* Resp. ad 1.

omnia ad singula. Et vero ipse Spondanus narrat eodem Annalium loco, per Cardinalem Borgiam, die octavo mensis Martii, nomine Hispaniarum Regis Philippi, publicam Romæ factam contra Urbanum *Protestationem* (qvam Caramuel tamen vult mitissime in Hispania appellatam *Filii ad Patrem monitionem*) qvod nec pecunia nec armis rem Catholicam in Germania labascentem sublevaret: *quicquid detrimenti Catholica religio pateretur aut passura esset, Pontifici adscribendum fore.* De eodem Urbano Caramuel *pag. 278 Pacis Licitæ* disertè: *Claudit Pontificum seriem Ernestus Urbano IIX. Quem fuisse partialem* (h. e. Catholicæ Germaniæ partis hostibus addictum) *non dicam, quoniam dici non debent, quæ tam clara sunt ut non possint negari.* Enimvero solæ literæ & indicti Jubilæi, qvorum Urbanus perqvam fuit liberalis imo prodigus fateor, inania sunt rerum auxilia. Non absurdò profecto ille qvondam apud Sallustium: *non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, prospere omnia cedunt.* Jubilæis perierunt qvidem multa: nihil tamen hactenus recuperatum est qvidqvam. Usus sane docuit, numqvā magis in discrimen venisse res Catholicas, qvam cum Jubilæis populus Pontificum ductu incumberet. Qvod indicio est, averti Deum & ipsos illos Jubilæos. Plus auxilii con-

tulit

tulit forte Innocentius. Parum tamen & illud fuit. Et verò qvod Caramuel scribit in Prodromo p. 48: *Innocentium secundùm Patrimonii Ecclesiastici vires ad Fidem propagandam concurrere*: id piam esse ἄυξησιν à vero tamen multum diversam, notum est. Sedebat jam Innocentius. cum idem Caramuel, Ernesto de Eusebiis, qvi solum Pontificem *Patremfamilias*, Principes autem omnes, atq; adeo & Cæsarem, non erubuerat *servos* vocare, hæc & recte & lepide reposuit: *Si Pontifex esset solus Paterfamilias (quod asseris & ego nego) solus deberet sumptus facere. Famulorum enim & servorum impensis Paterfamilias non potest providere domui. Cum ergò certum sit, Pontificem non mittere pecuniam in Imperium, injuria est Pontifici hæc adulatio.* Hæc Caramuel. Ipsemet Anticaramuel p. 45 non nisi his verbis uti ausus est: *Non est fas dubitare, Sanctitatem suam, nisi vicinioribus avertendis periculis* (imo in locupletanda familia sua) *distineretur, ad miserias Catholicorum Germaniæ sublevandas, etiam peculio & milit velle succurrere.* Nihil itaqve verius est, qvam & Urbanum & Innocentium, præter ludicra auxilia, nihil robustæ opis rebus Catholicis attulisse: & tamen abundasse illos vi multa pecuniæ ac virium: atqve adeo cum potuissent & merito debuissent res suas tueri, illas tanqvam derelictas interire esse passos.

Pro-

Resp. ad II. Promisit porro Cæsar qvidem, ceu Advocatum decet, jura Romanæ Ecclesiæ sese defensurum, sed *pro suo posse*. At vero non potest Cæsar contra omnem vim armis suis jura illa defendere. Ergo nec Cæsar ad armatam eorum defensionem Advocatiæ causa adstrictus est. Adhoc Advocatus utique non tenetur ultra ea quæ in officio sunt protectoris alicujus. Non tenetur itaque Cæsar, cum discrimine rerum suarum & reipubl. Germanicæ, jura Pontificum tueri; ac proinde nec suis armis adversus vim hostilem in eorum tutelam contendere. Non enim Protectores ad clientum defensionem cum jactura propriorum bonorum obstricti sunt: ceu præclare pòst alios ostendit Magerus. Imo verò non tenetur Ecclesiæ Advocatus nisi Ecclesiæ sumptibus rem agere, nisi aliunde jam ipsi sit de expensis prospectum: quod ipse Panormitanus jam olim docuit *in C. in quibusdam sub. n. 1. v. 7. in glossa de pœnis*. Sed ne obolum quidem ex Pontificum liberalitate Cæsar ordinarie quidem lucratur. Si in defensionem itaque Papalium jurium extra ordinem sumptus faciendi sint, illos non Cæsar sed Pontifex impendere tenetur: ac proinde & in bellum à Pontifice debuissent vires Cæsari concedi. Quod quia factum non est, Cæsaris quoque, inquantum ille sanè est Advocatus Ecclesiæ Romanæ,

manæ, in officio neutiquam fuit, armis pro jurium illorum defensione contendere.

Quæ de centum annis præscriptioni Ecclesiasticorum bonorum indultis adferuntur, nihil faciunt ad rem nostram. Præterquam enim quod ita demum à Justiniano sit constitutum, idque minus laudabili occasione Emisenæ Ecclesiæ, ceu liqvet ex Procopii *Arcana Historia* & Svida in Πείσων Ἐμισηνὸς, fueritqve illud revocatum ab eodem Justiniano per *Novellam CXI* & *c. XXXI;* utiq; constat, indultum hoc pertinere ad tempora reipublicæ pacata, & niti tantum lege positiva humana & quidem non nisi Justiniani. Jam vero quælibet libera respublica legibus Justinianeis non nisi ex mero arbitrio est obnoxia; ac proinde & Germanica nostra. Id quod libro *de Origine Juris Germanici cap. 33.* & alibi contra Taborem & Taboricos demonstravi. In universum porro de omnibus legibus positivis humanis constat, eas jure & posse & debere mutari pro usu reipublicæ: neutiqvam certè illas obligare, si aliud jubeat necessitas, sed semper habere locum illud apud ipsos Romanos Duodecim tabulis constitutum: *Salus populi suprema lex esto.* Potuit itaqve, & debuit merito, Justiniani istud de centum annorum præscriptione Germania nostra non observare, saltim cum accessitas aliud flagitaret. Quod in tranquilli status usum por- *Resp. ad III.*

rò est conditum illud summa injuria traxeris ad nostra belli tempora. Belli sane furente tempestate negotia quævis certum exigunt ac præsens auxilium defendendis suis: quod si desit, bello capta transeunt ipso illo momento in jus victorum; perinde atque si dominium illorum esset per contractum aliquem emptionis & venditionis ab uno in alium devolutum. Nihil juvat indulgentia isthæc Justinianea ad jus victoris in armis occupata infringendi. Nec qvæ pace impune permittitur rerum tuarum negligens curatio, illa & bello invenit veniam. Adhæc observandum est, cum Pontificia jura omnia primò ac per sese totâ naturâ suâ pertineant ad usum non Pontificū sed Ecclesiæ (ceu ipsa Curia confitetur) certe debeant isthuc referri, consequenter simulac exigit Ecclesiæ salus, teneri Pontifices eorum dominiū abdicare, & quidem bonorum Germaniæ dominium in usum Ecclesiæ Germanicæ. Jam vero superstitis Ecclesiæ Romanensis salus unice postulavit, ut pace constituta cederent Protestantibus illa ipsa quæ obtinuerunt. Itaq; ultro cedere illis bonis, in officio fuit Pontificum; & quia noluerunt, potuit ab aliis, qvorum interest, fieri isthæc translatio. Et vero habent heic qvoqve locum; qvæ de tacita bonorum reipublicæ cujusq; cessione ejusq; varietate atq; fundamentis disputavimus *l. 2. de Finib. Imperii Germanici cap. 19. pag. 352* & aliqvot proxime

xime consequentibus: ut heic illa repetere, nihil attineat.

Caput VII.

Etsi tempore constitutæ Pacis superfuisset Papæ aliquod jus, tamen Reipublicæ Germanicæ fuisse integrum ita constituere prout factum est.

QVin igitur Papa, antequam Pax constitueretur, jura quæ Pacis pacto sibi subducta conqueritur jam perdiderit, ac proinde licuisse Germanicæ Reipublicæ de iis ex usu suo constituere, non est qvod dubitemus. Fac nihilominus tamen illa fuisse adhuc integra; eo non obstante fas fuisse, jura illa Papalia Protestantibus concedere, jam itidem patebit, & quidem quatuor de causis.

Earum *PRIMA* est, qvod liceat, summa exi- r
gente necessitate, rem alienam, præsertim si illa minoris sit momenti quam est illa cujus extrema necessitas urget, in tuos usus vertere. Et sane hoc quidem docent præclari etiam Theologi ipsiusmet Pontificiæ partis, ne aliis laudandis teram tempus: quorum videlicet illa unanimis est sententia, in gravissima necessitate revivisere jus Pristinum utendi rebus, tanquam si illæ communes mansissent nulla proprietate singulorum instituta. Huc utiq; pertinent qvæ disputantur à Thoma *2.2.q. 66. art. 7.*

Cajetano aliisque omnibus Thomæ Commentatoribus ad l. cit. Adriano *Quodlib. 1. art. 2.* Dominico Soto *de Justitia & Jure l. 5. quæst. 3. art. 4.* Lessio *de Justitia & Jure l. 2. cap. 12. dub. 12.* ut & à Covarruvia *cap. peccatum p. 2. §. 1.* Nec excipi ab hac regula universali bona quæ Ecclesiastica dicuntur, sed etiam illa necessitatis tempore omnibus effici communia, seorsim præclare demonstravit Castrensis *consilio 415. In facto præsenti. n. 2.* Jam vero eam fuisse necessitatem Ecclesiæ Romano Catholicæ in Germaniâ, ut, nisi cessione facta Papalium jurium quorundâm, non potuerit illa servari, in propatulo est. Etiamsi igitur isthæc jura neutiquam aliâs fuissent obnoxia Reipublicæ Germanicæ, tamen licuit illa vertere in Germaniæ commodum. Atq; adeo isthuc versa esse, non potest meritò Papa conqueri, sed querela illius omnis est iniqua. Conquerenti sane haud injuria fere dixeris id quod olim Ambrosius: *Esurientium panis est quem tu detines: nudorum indumentum est quod tu recludis: miserorum redemptio & absolutio est quam tu in terra defodis.*

III *ALTERA* causa est, quod Respublica Germanica in omnia de quibus Papa conqueritur summũ sive eminens habeat dominium, quamvis sint privatæ possessionis, & ex parte juris fuerint Pontificii. Enimvero habere rempublicam quamvis jus

etiam

etiam de privatis civium bonis ex usu publico constituendi, atqve adeo, si postulet extrema necessitas etiam illa alienandi, non in controversiam nunc vocabo, sed qvasi jam certum & prudentioribus notum tenebo. Et vero alienum ab instituto fuerit illud hoc loco velle probare: præsertim cum hoc abunde agatur in Politicis. Non autem difficile etiam est perspectu, omnia illa, qvæ Papa dolet, Majestatis Germanicæ legibus obnoxia esse. Ad duas enim classes omnia commode retuleris, *ad* religionem scilicet ipsam, *& ad* bona, qvæ qvod in possessione qvondam fuerint sive Papæ sive aliarum Ecclesiasticarum personarum, mos est Ecclesiastica appellare, etsi hoc nomen illa demum mereantur sine qvibus Ecclesiæ sacra haberi nequeant, cum reliqva sint Ecclesiasticorum potius quam Ecclesiastica. *Primæ* classis est libertas θρησκείας Protestantibus permissa, vel ut Innocentius loqvitur *Hæreticis Augustanæ Confessionis liberum suæ hæreseos exercitium in plerisque locis permissum.* Ad *secundam* classem merito retuleris qvicqvid est reliqvum. Præter enim illa quæ diserte appellantur Bona Ecclesiastica, reapse huc unice pertinent 1. Hæreticorum admissio ad publica munia, Archiepiscopatus, Episcopatus, Preces primarias aliasque dignitates & beneficia Ecclesiastica: 2. Papali Curiæ subducta, Annatæ, jura Pallii, Confirmationes, Men-

ſes Papales, Reſervationes in bonis Eccleſiaſticis eorum qui Auguſtanam Confeſſionem ſectantur 3. Confirmationes electionum aut poſtulationum Epiſcoporum Prælatorumqve Auguſtanæ Confeſſionis, poteſtati ſeculari attributæ: 4. Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Monaſteria, Præpoſituræ, Balliviæ, Commendæ, Canonicatus, & alia beneficia ac bona Eccleſiaſtica Principibus hæreticis in feudum perpetuum ſub dignitatis ſecularis titulo conceſſa: ac 5. deniq; inſtitutus Octavus Electoratus in Caroli Ludovici hæretici Principis favorem. Quamvis ſane diverſa vocabula heic audiantur, omnibus tamen illis non niſi bona ſignificantur: nec alia reapſe eſt Papæ querela, quam qvod ſub illis nominibus variis latitantia pingvia patrimonia, ſibi ſuæque parti ſubducta, Proteſtantibus vel in ſolidum ſint data vel facta communia.

Jam vero qvod *Religionem* qvidem attinet, an Proteſtantium ſacra ſint hæretica nec ne, non aggreſſa eſt Germaniæ Reſpublica per Pacem definire. Sit hoc commiſſum Papæ Romano, ſi ita nunc libet. Multo minus pacis aliquo pacto ſacra illa cuiqvam laudata ſunt. Qvod enim à civili infamia eorum cultores Pax liberavit, hoc ſanè non eſt per ſe laudare. Nec enim religionis veritatem prudens qviſqvam & pius Numinis cultor ſecularibus honoribus & opibus æſtimat: nec fas eſt homines

talibus

talibus illiciis in assensum trahere. A Christianis hoc alienissimum esse debet. Aurea certe Ecclesiæ ætas ab injuriarum tolerantiâ potius augmentum suum exspectavit. Qvod Romana Ecclesia aliis nunc vivat moribus, id argumento est illam plurimum ab antiqvis & rectis vere Catholicæ Ecclesiæ institutis dissidere. Cum nihil itaqae in laudem Protestantium θρησκείας Pace sit constitutum, & Ecclecta isthæc non obstent qvo minus hæresis titulo illa infametur, certe hactenus nihil Pace actum est, qvo de jure possit Papa conqveri, quamvis fuerit infallibilis Fidei & morum definitor à Deo constitutus. Cæterum an impune sacra aliqua tolerari in republica debeant nec ne, aut num, alicujus θρησκείας cultores civilibus debeant beneficiis nec negaudere; hoc verò dispicere & ordinare est solius civilis potestatis. Primis certe sex seculis Christianis amplius Papæ Romani ea de re numquam sunt à quoqvam Cæsarum aut Regum vel consulti: nemo Paparum vel verbulo indicavit, hanc qvoq; definitionem sui muneris esse. Imò verò ante Gregorium VII, sacræ monarchiæ Papalis conditorem primarium, non soliti sunt Papæ ejusmodi qvid nisi arcano voto, & procul diris, sibi arrogare. Itaque dum Protestantium sacris data est libertas, saltim in eo non excessit Respublica Germanica illos juris limites qvi sunt communes omni reipublicæ: nec involavit

vit in jus aliquod Papale. Ac proinde hactenus sanè non potuit jure conqveri Papa, quasi Germaniæ Proceres falcem miserint in alienam messem.

Multo minùs obtendere Pontifex merito potest; nulla ratione fas esse, hæreticis sacris libertatem in republica concedere. Certe non hoc nos docet vel nativa intellectus nostri vis, vel divina revelatio, vel priscæ Ecclesiæ consvetudo: sed plane alia hinc discere est. Quod hoc loco prolixe ostendere non patitur institutum, quia tota hæc opera alteri labori relicta est expedienda. Scimus quidem Romanam Curiam Bullis suis vehementer in hæreticos quosque fulminare: sed vitio illas ita edi, notum est ipsis maxime-Catholicis prudentioribus. Qui hanc mentem suam nec dissimulant, dum annuis Bullis Cœnæ qvæ appellantur, præ aliis autem illæ in Hæreticos sæviunt, non tantum in Germania, sed etiam alibi vim auctoritatemque detrahunt. Auctor doctissimi libelli *de Jure Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptionem* ita loquitur pag. 38: *Septemvir Moguntinus, et si ratione Ecclesiasticæ dignitatis, qua fulget, Romano Pontifici subjectus, Bullam tamen Cœnæ Domini in ditionem suam admittere recusavit, quod Paci Germanicæ, atque adeo Religioni Catholicæ, secundum temporis illius statum, detrimentum inde metueret. Quod & à Republica Veneta factum fuisse, ex Annalibus*

ejus

ejus ævi confirmatur. Qua in re Hispaniæ & Galliæ Reges exemplo eis præiverant, multis de causis ea constitutione finibus suis exclusa. Et Belgæ quidem tantum abest, ut fulminibus istis quæ Bulla Cœnæ tam confertim vibrat, se afflari existiment, aut fulguritione ejus terreantur, ut Concilia Regia nec mentionem illius fieri in judiciis sustineant, mulctatis subinde causidicis, qui allegare Bullam & auctoritate ejus causam suam fulcire ausi essent. Hæc ille. Qui ita vero Bullas illas solenniſſimas æstimant, hi profecto sibi haud persvaserunt, voces Papæ de hæreticis tollendis esse voces Vicedei, quibus adversari sit nefas; sed credunt potius, qvemadmodum in republicâ tractandi sint hæretici, id sui muneris esse ex usu reipublicæ constituere.

Qvandoqvidem vero illa qvæ de Religione sunt Pacis pactis constituta, summæ potestati Reipublicæ Germanicæ definire competiit, jam tum vere itidem patet, multo magis juris Reipublicæ fuisse de *BONIS* disponere. In Religionem videlicet obtentui Papæ est divinitus S. Petro injuncta, & in se Petri successorem translata, pascendarum Christi ovium cura: at de bonis verbum divinum nullum est qvod vel in speciem qveat adferri. Bene Bernhardus *l. 4. cap.* 2. ad Eugenium: *Evangelizare pascere est. Fac opus Evangelistæ & Pastoris opus implesti.* Ad sacram pastionem utique bona

nihil faciunt. Nec enim sacer Pastor alit oves suas aliter quam solis spiritualibus. Sicut nempe Christus est *Pastor animarum*, ut scribit S. Petrus. *1. Ep. 2, 2.* S. Paulus Ephes. 4, 2 *Pastores doctoribus* jungit ut ejusdem Officii. Recte S. Ambrosius: *Qui sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregavit. Aurum* Ecclesia *habet, non ut servet sed ut eroget & subveniat in necessitatibus. Aurum sacramenta non quærunt; neque auro placent quæ auro non emuntur.* Sulpitius Severus non dubitavit profiteri: *auro non strui* Ecclesiam *sed destrui.* In bona igitur, qualia etiam cumque fuerint, nihil est divini quidem juris, quod Papa habeat. Si quid habet ergo, id omne humanis institutis ac legibus nititur, & iis unice est definiendum. Et sane in universum nihil est verius illis S. Augustini: quæ proinde vi veritatis ab ipsomet Gratiano *dist. 8.* in Decretum sunt translata, & hactenus accensita scitis ipsiusmet Juris Pontificii. *Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus. Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen, dicis, hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo humano: jure Imperatorum. Quare? Quia ipsa humana jura per Imperatores & Reges seculi Deus distribuit generi huma-*

humano. Dicis? Quid mihi & Imperatori? Secundum jus ipsius possides terrena. Tolle jura Imperatorum: & quis audet dicere, Mea est villa, aut meus ille servus, aut domus hæc mea est? Igitur quænam jura competant Papæ nec ne, hoc profecto illis legibus & illis institutis, qvæ & reliqvis mortalibus sunt communia, par est æstimare. Multò magis ad illam normam communem exigendum est qvicqvid est reliqvum Ecclesiasticarum possessionum: qvippe qvarum conditio non est melior iis quæ ab ipsomet Papa possidentur. Omnium videlicet eadem est ratio. Omnia suspensa sunt ab humanis pactis, contractibus, donationibus, concessionibus. Inde unice pretium eorum est existimandum.

Jam verò quod præcipua qvidem Ecclesiasticorum bona per Germaniam attinet, illa utique citra controversiam subjecta sunt summæ Imperii potestati, utpote cum sint Imperii feuda. Hoc sane de Principatibus, Comitatibus, Baroniis, aliisqve opimis patrimoniis qvibus Ecclesiastici fruuntur, notissimum est. In hoc autem ordine sunt potissima bona Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Monasteriorum, Collegiorum, aliorumque Corporum quæ Ecclesiastico nomine celebrantur.

Sed & in universum utique certum est, omnes Ecclesiasticas possessiones sive mobilium sive im-

mobilium rerum, fuisse antehac in aliorum Imperii civium potestate. Civium autem singulorum bona nequeunt profecto exire summo sive eminentissimo Reipublicæ dominio, nisi auctoritate eorum qvos penes est τὸ κύριον sive majestas. Nec verò ipsi donatores, aut in universum concessores, illorum bonorum, potuerunt in Ecclesiasticos transferre qvidqvam qvod suum non fuerat: ac subinde omnes translationes factæ sunt salvo jure tertii, hoc est ipsiusmet Reipublicæ summo dominio salvo. Si qvid igitur illorum bonorum immediate Reipublicæ jurisdictione est solutum, illa libertas à Cæsaris Ordinumqve (hos enim penes Germanici Imperii summa sive majestas est) communi consensu impetrata sit, necessum est. At nihil omnino sive immobilis sive mobilis rei, per universam Germaniam, consensu ejusmodi libertatem, illam est consequtum. Hactenus sanè non est cuiqvam visa ejusmodi concessio. Si qvæ facta est, produci in lucem debet. Affirmantibus utiqve incumbit onus probandi. Interim præsumendum profecto est sine discrimine de omnibus, omnia Germaniæ qvamvis sacra bona Cæsaris summæ potestati subjici: atqve adeo hic qvoque habere locum illud Hugonis de S. Victore: *omnia quæ vitam terrenam spectant subjecta sunt terrenæ potestati.*

C Q tè portentis opinionum & qvæ rebuspublicis

cis evertendis natæ, annumerandæ sunt illæ sententiæ: omnia Ecclesiasticorum bona jure divino exempta esse Rerumpublicarum jurisdictioni, & summum eorum dominium esse vel penes ipsum Christum vel ejus Vicarium Pontificem. Nisi malis cum Caramuele *Pacis Licitæ n. 42.* mitiùs pronunciare: *sententiam, quæ bona Ecclesiastica proprietatis titulo Christo Domino qua homini subjicit, piam non tamen doctam esse; quæ Pontifici, omni carere fundamento, tametsi autoribus & invidia non careat.* Qvi recte etiam *n. 8.* scribit: *Ecclesiastici habent in bonis Ecclesiasticis tantum jus quantum seculares transmiserunt, quantum indulserunt Principes & Imperator. At teste D. Paulo, nec illi nec isti habent auctoritatem ad destructionem sed ad ædificationem. Ergo nullam voluerunt imo nec potuerunt donationem validam facere, quæ Ecclesiæ aut Imperii destructionem inferret.* Alibi prolixius argumentum hoc prosequimur.

Qvoniam igitur omnia bona Ecclesiastica qvæ dicuntur Germaniæ, non minus atqve alia qvæqve privatorum civium, subjaceant summæ potestati Cæsaris & Ordinum Imperii, hæc vero, qvandocunqve postulat reipublicæ necessitas, in communitatem recipi, donari, alienari salutis publicæ causa jure qveant: consequens profecto est, licuisse

Cæsari & Ordinibus omnia illa bona, quorum meminit Declaratio, usurpare, quemadmodum salus Germaniæ jussit. Ac proinde, cum illa jusserit transferre isthæc in Evangelicos, jure factam à Cæsare atque Ordinibus translationem istam, nec competere Papæ conquerendi vel protestandi aliquam justam facultatem.

Et vero non demum soli Ferdinando tertio Augusto nostro Imperatori cum aliis Imperii Catholicis Ordinibus, sed etiam antehac ipsimet Ferdinando secundo, καθολικωτάτῳ utique Principi, (ne de Carolo V aliisque Cæsaribus nostris maximis dicam) non fuisse creditum, quod de Ecclesiasticis Germaniæ bonis aliquid definiendi potestas haud competat Imperatori; liquido utique ostendit, dum anno vicesimo nono sola sua auctoritate, nulla autem Papali fretus, restitutionem bonorum istorum Edicto publico mandavit. Imo quantumvis postea Jesuitæ, qui plurimum valebant in Cæsaris conscientiam, proprii commodi causa, hoc ipso læsa esse Romanæ curiæ jura haud dubitaverint affirmare, & voluerint hoc pio etiam illi Imperatori persuadere, non tamen mutari Edictum aut sententiam passus est. Res omnis quemadmodum gesta sit liquidum faciunt documenta, quæ referuntur in *Astro in extincto*, *Actione Perduellionis* aliisq; publicatis libris. Jam verò, qvod antehac quoque

que non repugnare Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus est visum, illud ne nunc quidem displicere cuiquam merito oportet, saltim non ob Innocentii hanc inanem Bullam. Et verò etiam hoc cumprimis meretur notari, quod cum Ferdinandus ille Augustus Imperator Edicti istius promulgandi consilium Papæ Urbano significasset, hîc Apostolica benedictione animum illum approbaverit, idemque repetierit edicto jam publicato : ceu testantur Papales literæ, quas exhibuit fine *Astri inextincti* Romanus Hajus. Quamquam post Curiam in alias sententias recidisse, haud negaverim.

Igitur non *Primum* duntaxat sed *Alterum* quoque eorum quæ jam protulimus, plusquam satis evincit quod demonstrandum suscepimus. Addem⁹ nihilominus in majorem ejus confirmationem etiam TERTIUM argumentum : non nisi paucis tamen, quia justam prolixitatem non patitur hic locus. Est autem illud : *Saltim potissima illorum bonorum, quæ adhuc supersunt Pontifici in Germania, licet illi eripere nullâ quamvis urgente necessitate, Ergo multo magis fas fuit illi eripere ea ob summam reipublicæ necessitatem atque Evangelicis concedere.* Consequentia non indiget probatione. Sed Antecedens liquet ex eo, quia isthæc omnia Papalis Curia per summam injuriam sibi initiò comparavit, & hactenus retinet vi duntaxat

trans-

transactionis cum Natione Germanica initæ: illam vero Papalis Curia nunqvam hactenus desiit violare, atqve adeo pridem illam qvantum in sese est reddidit irritam. Unde consequens est, non minus etiam pridem licuisse Nationi Germanicæ illam transactionem tollere. Hoc facto autem corruunt utiqve ultrò omnia, qvæ Papæ vigore illius transactionis hactenus adhuc possident.

Non est necessum hoc loco probationem illius Antecedentis instituere, qvoniam plusqvam satis est illa peti potest ex illa *Exercitatione*, qvam de *Constitutione Episcoporum Germaniæ* pridem instituimus; & qvidem si attendatur duntaxat ad illa, qvæ ibi disputavimus à paragrapho septuagesimo usqve ad octogesimum sextum, ut & seorsim paragrapho nonagesimo secundo. Liqvido sane hinc apparet; *Confirmationes*, *Jura Palliiredimendi*, *Reservationes*, *Menses Papales*, *Annatas*, &, si qvæ sunt his similia, partim per meram vim & tyrannidem Curiæ Romanæ post seculum quartum decimum in Germania cœpisse, partim in fraudem Concilii Basileensis, qvo tyrannis Pontificum propemodum erat eversa, per Concordata qvæ vocantur Nationis Germanicæ fuisse quidem constituta; illa autem Concordata perpetuis violationibus à parte Curiæ usque adeo fuisse irrita reddita, ut pridem licuerit Germanicæ qvoqve Nationi jugum illud ini-

iniqvissimum omne excutere,utq; illa tantùm qvasi precariò, illius transactionis vi Romanæ Curiæ concessa, assertâ pristinâ libertate, sibi atqve adeo Reipublicæ vindicare. Non pèrtinet qvidem ad hanc classem ipsa Archiepiscopalis Pallii nullo pretio empta à Pontificibus collatio: qvoniam tamen seculo Christiano octavo demum illa cœpit, & qvidem opinione illa, qvod Pontifici Romano, ut S. Petri successori, jus summum aliqvod competat in universam Ecclesiam: id qvod ostendimus ejusdem *Exercitationis paragrapho vicesimo sexto*: eaqve opinio sit inanis: meritò utiqve potest etiam hoc omne tolli. Qvemadmodum omnia qvæ divino juri falso tribuuntur, deprehensa illa falsimonia, svapte mole corruunt. Verum etsi heic recte sint instructi Evangelici, qvia aliis tamen illa veritas nondum lucet, itaqve hactenus qvidem in hujus qvoqve rei sublationem non omnes forte Imperii Ordines consenserint: etsi reliqvum illud jugum vellent excussum. Sed parum refert,qvidnam hic aut ille sentiat, satis est jam qvidem nobis, qvod isthæc omnia summo jure liceat Papis rursum eripere, qvamvis illa adhuc sint in eorum possessione.

Accedit huc etiam illud: qvod Curia Romana, dum eminens, imo plenum dominium, personarum pariter & bonorum Ecclesiasticorum qvæ ap-

pellantur sibi arrogat, reapse committat crimen læsæ Majestatis Imperii. Tale autem crimen citra controversiam meretur amissionem etiam aliàs jure possessorum. Id quod utique ad Antecedentis probationem vel solum sufficit.

Cæterum tribus illis postremò licet jure adjungere etiam QVARTUM argumentum de eo, qvod Papa Innocentius haud dubitaverit conqveri in sua Bulla hisce verbis: *Plures Archiepiscopatus, Episcopatus, monasteria, præposituræ, ballivæ, commendæ, canonicatus, & alia beneficia & bona Ecclesiastica, Principibus hæreticis eorumque hæredibus, etiam sublata denominatione Ecclesiastica, in feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo conceduntur.* In hæc omnia scilicet nihil potuit vel prætendere Innocentius, præter arrogatam Curiæ, in omne quod Ecclesiastici boni nomen accepit, Papalem jurisdictionem. Ast vero etsi Curia talem Papis suis arrogavit jurisdictionem, nunqvam tamen à Republica Germanica fuit agnita illa & concessa; sed in bona ist hæc omnia non minus atque in secularia alia exercuit semper suum imperium, Papalibus prætensionibus spretis, & nunc quoque exercet. Cui rei probandæ satis est exemplum bonorum Hildesheimensis Episcopatus; quæ propter delictum Episcopi & Capituli banno Imperiali à Carolo V fuerunt proscripta ad

secu-

ſecularium bonorum inſtar, & conceſſa in feudum occupantibus. Etſi igitur Romana Curia non deſierit in ejusmodi bona prætendere ſuam aliqvam ſacram jurisdictionem, utique licet Germanicæ reipublicæ, tandem aliquando omne illud alienæ Curiæ prætenſum jus ſolemni ritu penitus abolere. Qvoniam hoc licet autem, conſequens omnino eſt, licuiſſe Pacis publicæ cauſsâ etiam antehac falsò prætenſum illud Papale jus non attendere, aut unius facere flocci.

CAPUT. IIX.

Tribus excitatis dubiis, de ſummo dominio omnium bonorum ſacrorum ſingulari jure Papæ competente, de injuſta ſacrorum bonorum in uſus profanos translatione, & eorumdem bonorum perpetua alienatione, diſtincte ſatisfit.

NIſi vehementer fallimur, perſpicuum omnibus jam factum eſt, id quod probandum ſuſceperam9, etſi quæ jura tempore pactæ Pacis Papæ ſuperfuiſſent, licuiſſe tamen Imperatori & Ordinibus Imperii, prout pactum eſt omnia conſtituere. Non nego tamen, qvæ ſaltim in ſpeciem dubium aliqvod moveant, tria in medium adduci poſſe. Ne qvid igitur qvenqvam bonum & æqvum judicem remoretur, etiam illa tollemus.

Horum autem PRIMUM est, diversam esse rationem bonorum & jurium ipsius Pontificis, ac reliqvorum bonorum Ecclesiasticorum: etsi nimirum hæc subjecta sint summo dominio reipublicæ, non tamen & illa. ALTERUM: qvæ semel Deo dicata sunt bona in alienos usus transferri haud fas esse; atqve adeo nec à Summa potestate bona spiritualia posse secularia reddi, vel hæreticis Dei perduellibus donari. TERTIUM: omnem translationem à Summa potestate institui debere in utilitatem, non in perpetuum ergo; hoc enim Ecclesiæ pariter & Reipublicæ esse noxium. Injusta itaqve esse Pacis pacta; utpote qvibus non minus Pontificum jura qvam alia Ecclesiastica bona aliis conceduntur, bona spiritualia profanantur, & æternum aliqvod malum reipublicæ & Catholicæ Ecclesiæ infligitur.

Respons. ad I. Cæterum ut veritas justitiaqve conditæ Pacis sibi constent, ad singula ordine respondebimus. Et PRIMUM qvidem qvod attinet, eam esse Juris Pontificii Doctorum communem fere sententiam, haud diffitemur, qvod in ea qvæ Papa possidet habeat ille summam omnem imo illimitatam potestatem: nec negamus, sententiam illam consentaneam esse Juris illius Pontificii constitutionibus, atqve isthuc respicere qvoqve *Plenitudinem potestatis* quam Bulla Innocentiana jactitat. Posito autem

autem, hoc ita sese habere, nihilominus vim suam retinerent saltim illa qvæ *Capite sexto* disputavimus. Reapse autem eminens dominium omne in bona qvamvis Papalia, qvæ qvidem sita sunt in Imperio, competere Reipublicæ Germanicæ, liqvido demonstravimus *Capite septimo.* Cum non possit autem ejusdem rei idem dominium duobus diversis competere, manifestum est, illud eminens dominium Papalis juris non esse. Nec verò consensus Juris Canonici Doctorum aut etiam Constitutionum, ullius est in adversam lancem ponderis: æqve facilè sanè possit adduci in alteram partem consensus Juris Romani, imò omnium rerumpublicarum. Nec poterit Papam juvare antiqvitas suarum Constitutionum: qvia hoc ipso neutiqvam indicatur antiqvitas ipsi9 usus. Sane in republica Germanica præscriptionem sui juris bona fide exerciti non hoc ipso probaverit. Si verò *Plenitudinem potestatis* sibi jam pridem arrogatam Papa velit prætendere, meritò illi regeri poterit, qvod ad Eugenium scripsit S. Bernhardus: *Hoc factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non æque.*

Et vero, Pontificum illa jura qvid reapse sunt aliud, qvàm bonorum Ecclesiasticorum perceptiones Romanæ Curiæ competentes? Annatis certe, juribus Pallii, Confirmationibus, Re-

ſervationibus, aliisqve ejusmodi hoc potiſſimùm agitur, ut proventuum qvos fundunt Eccleſiaſtica Germaniæ bona, pars qvædam pingvior Romam deferatur, utque ſumma omnium diſpoſitio Papæ tanquam Chriſti Vicario permittatur. Igitur qvæ eſt conditio in univerſum ipſorummet bonorum, eadem eſt & proventuum omnium qvi inde fluunt, ſive Pontifex ſive alius aliqvis illos proventus hactenus perceperit. Nec verò Pontificibus Romanis ſolis, ſeorſim ſingulari qvadam ratione, proventus illi à Cæſare aut Republica Germaniæ conceſſi antehac fuerunt: ut nimirum, nulla neceſſitas reipublicæ, quamvis maxima, mutationem aliquam debeat imperare. Talis ſane conceſſio nulla unquam data eſt: & ſi eſſet data ſuapte ſponte dudum concidiſſet tanquam evertens rempublicam.

Imò verò de ANNATIS quidem non dubitavit Franciſco Cheregato Adriani VI Nuncio reſpondere Ferdinandus, Caroli Auguſti in Comitiis Imperii tum vices functus: *Cum Ordines S. R. Imperii nihil dubitent, Beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in ſolutionem Annatarum ad aliquot annos Apoſtolicæ Sedi ſolvendarum, ea lege ac conditione conſenſiſſe, ut illæ in oppugnationem perfidiſſimi Turcæ & defenſionem Fidei Catholicæ converterentur: ex quo autem numerus*

merus annorum, intra quos Annatæ illæ ſolvi debeant, nunc longo intervallo transactus ſit &c. Ipſamet verba *Gravaminis* LXXVI in libello *Centum Gravaminum* ita ſeſe habent: *Quantum ad Annatas (ut vocant) attinet, quas Eccleſiaſtici Prælati Romano Pontifici pendunt, quasque ante aliquot annos Germani Principes Sedi Rom. ut ſubcertis usq; annorum metis, eoq; tamen modo perſolverentur, conſenſerunt, quo pecunia hæc ad nihil aliud, quam contra Turcas parandam defenſionem Romæ, tanquam depoſita, fideliter adſervaretur. Verum, qvum anni, in quos præfato modo conſenſum erat per Germanos, jam olim effluxerint, ac Annatas depenſas, non contra Turcas, ſed aliò experientiâ Germani Principes didicerint verſas; eapropter per omnes Imperii Ordines illud ipſum pro onere non mediocri huc allegatur, ſupplicaturque. Id quod in reſponſione generali Oratori Pontificio data, ac inprimis ex Cæſareæ Majeſt. literis ad Sanctitatem Pontificiam eam obrem ſcriptis, liquido magis reperitur. Quam ob cauſam Laici Status Rom. Imp. vela complicanda cenſuerunt.*

In hunc modum de Annatis non dubitaverunt Imperii Principes qvaſi uno ore tunc loqvi: haud dubie certi de eo qvidnam conventum ſit. Non me fugit tamen ab aliis alias cauſſas exactionum illarum ſolere prætendi, ſed plane abſurdas. Enimvero

Petrus

Petrus Matthæus qvi Septimum Decretalium volumen collegit atqve edidit, ad *Lib. 2 tit. 3* qvem *de Annatis* inscripsit *Cap. 7* ita commentatur: *Introducta fuit Annata ad subventionem Papæ & Cardinalium indigentium, sicut & charitativum subsidium: ut tradit Ferdinandus Cordubain tractatu suo de Annatis, quem refert Gomez in Præfatione Reg. Cancellariæ de valore exprimendo numero sexto.* Hoc sane manifestè absurdum est: qvia primus Annatarum auctor fuit longe opulentissimus. Utqve fuerit verum, nullo jure poterunt exigi Annatæ desinente omni illa indigentia: pridem sane illa defiit, & nulla Romæ potest esse penuria, qvando luxui immodico & luxuriæ ac prodigalitati effreni modus fuerit positus. Idem Matthæus longe aliter fuerat commentatus ad *cap. 1* hisce verbis: *Annatæ Romanæ Ecclesiæ ad res pie & sanctè gerendas, in publicum Christiani orbis commodum, maximi præsidii loco habentur: easque Joannes Eckius in Enchiridio Locor. Communium contra Lutheranos, ita probat, ut jure divino firmatas & statutas asseveret, quia loco decimæ decimarum solvantur: Joannes de Bachenstein Decretorum Doctor, in collatione illa quam habuit in Synodo Florentina apud summum Pontificem, dixit: Annatas introductas fuisse, ut itinera & commeatus ad terræ sanctæ littora tutiores & liberiores essent.*

essent. Qvæ æqve atqve altera illa sunt perinepta. Etenim ab initio usque *Ecclesiæ Romanæ res debuerunt utiq; pie & sancte geri*, gestæ etiam fuerunt suo qvodam modo *in publicum orbis commodum*, nec tamen cuiqvam Pontificum olim fuit persvasum, sibi propterea Annatas deberi. Eckiana inscitiam arguunt & magnam impudentiam. Puduit enim hactenus ipsos Papas, tali prætextu divini juris Annatas exigere. Qvæ porro in usum reipublicæ Ebræorum instituit Deus Regia sua auctoritate, illa non debent ἁπλῶς *juris divini* cognomento appellari, tanqvam nunc etiam, pridem perditâ illa republicâ, obligent. Sed & concessæ tunc sunt decimarum decimæ, qvoniam ut Levitas ita & summis sacerdotibus erat tunc prohibita omnis agrorũ possessio: qva hodie Clerus universus, cumprimis autem Papa, est potentissimus. Ubi cesserit Papa omni illa possessione, forte possit ipsi subsidium aliqvod ex Annatis concedi; in tanta autem rerum omnium abundantia eas exigere iniqvissimum fuerit. Bachensteinium qvoqve adulatum fuisse Papæ, nimis liqvet. Sed & cum Papa ne obolum qvidem unqvam impenderit in salvum illum conductum, nec velit impendere, utiq; nec Annatæ ideò ipsi debentur. Magis ingenue Platina in vita Bonifacii IX ita scribit: *Tum verò Bonifacius sive Vicecomitum potentiam veritus sive augendæ ditio-*

nis Ecclesiastica cupidus, Annatarum usum primus imposuit. Hac conditione, ut qua beneficium consequeretur dimidium annui proventus fisco Apostolico persolveret. Sed utrum fas fuerit ea duci *cupiditate augendæ ditionis,* alii judicent, in talem autem usum indebita tributa indicere non profecto fas fuit. Utqve tunc fas fuisset, saltim hodie pergere in exigendo illo tributo fuerit nefas; cum cupiditas illa jam desierit, certe desinere pridem debuerit. Cæterum de Annatarum iniqvitate justa diligentia agere non est hujus lovi: & nunc quidem ea qvæ modo allata sunt, qveunt sufficere nostro instituto.

Respons. ad II. In ALTERA *objectione* falsum utrumqve est: nempe & *bona Deo dicata in alienos usus transferre piaculum esse, & illa Ecclesiasticorum bona de quibus Papa conqueritur ejus esse ordinis.*

Ut autem PRIUS illud ante omnia probè expendatur, Tra præmittemus qvasi hypothesium loco.

1. *Primum* igitur bona Deo dicata, si privatam qvoqve atqve adeo infimam possidendi rationem attendamus, reapse non sint nullius: qvamvis ita loqvi amavit Justinianus *l. 2. Institution. Tit. 1. §. 7.* Perperam sanè dicitur, *id quod divini juris est, id nullius in bonis est.* Enimvero *Domini est terra & omnis plenitudo ejus.* Nec magis illa qvæ sacris sunt usibus dicata in Dei sunt dominio, aut à Deo possidentur, vel *divini sunt juris*, qvam qvic-

qvicqvid est in mundo reliqvum. Et verò per *consecrationem* bona non omnino eripiuntur hominum usibus, nec dominio sive privato sive summo. Ne quidem illa ἁπλῶς fiunt verè publica: ceu tamen sentire videntur Marsilius Patavinus *in Defensore Pacis cap. V. v. 2.* Nicolaus Boërius *Decis. 69. n. 1.* Bossius in *Crim. de foro compente n. 101.* aliiq; præclari Juris doctores. Sed in privata sunt possessione, non minus atque profana qvævis bona. Et qvidem nunc in universitatis aut civitatis alicujus totius, nunc in fisci Principis reipublicæ, nunc in collegiorum, qvo pertinent & Cœnobia, interdum qvoqve in singulorum etiam hominum: ita tamen, ut eminens dominium semper, non minus atqve aliorum profanorum bonorum, competat summæ potestati cujuslibet reipublicæ. Et sane etiam ipse Justinianus, tametsi bona sacra dixisset *divini* esse juris, auctoritate tamen sua Imperiali, non dubitavit mox addere: *per nostram constitutionem ea alienari & obligari prohibuimus, excepta caussa redemptiones captivorum.* Non est hujus loci pro dignitate argumentum hoc persequi. Poterunt ea qvæ attulimus si non hîc *hypotheseos* vim nanciscì, saltim haberi vice alicujus *Postulati.*

Secundo, bonorum sacrorum alia sunt vero, alia falso Numini consecrata. Qvæ vero Deo sunt dicata, illa itidem aut in verè sacrum aut in non verè sa- II

crum usum dicata sunt, qvia nempe verum qvidem Numen interdum, non tamen prout par erat sed superstitiose colitur. Adhoc sæpenumero bona, qvæ rite qvidem sunt sacrata & vero Deo & in vere sacros usus, aliis tamen usibus adhiberi pridem assveverunt. Postremo qvæ vere sacrorum usibus sunt dicata, aut sunt plane necessaria, aut utilia ad bene esse, aut commoda duntaxat ad elegantiam aliqvam & splendorem, aut etiam plane superflua. Ut proinde illa ingens diversitas sacrorum bonorum accurate sit attendenda.

III. *Tertio*, omnis mutatio prioris usus fieri potest, aut in æqve bonum, aut in æqve malum, aut in meliorem, aut in pejorem.

Iis omnibus accuratè observatis, non forte erit difficile, totum illud de bonorum sacrorum mutatione, perqvam studiis animorum controversum arduumq; argumentum, aliqvot distinctis propositionibus rectè expedire.

I Harum Prima hæc esto: *non est fas bona sacra, qualiacunque etiam fuerint, in malos usus vertere.* Qvoniam videlicet in universum haud est fas bonis abuti in vitia, multo minùs fas fuerit illa qvæ sacrata sunt isthuc vertere. Qvantumvis scilicet illa falso Numini aut in superstitiosos usus fuerint consecrata, si intentionem tamen videas consecrantium

tium, bona illa sunt sacra, atqve adeo cedere neqveunt in vitiorum usum sine aliqvo sacrilegio.

Secunda sit. *Bona quæ falso Numini, aut superstitioso cultui etiam veri Numinis sunt dicata, licet in profanos usus vertere, modo illi sint non mali.* Reapsè nimirum bona isthæc non sunt vere sacra & dicata sunt usui malo. Qvando igitur in usus cedunt non malos, qvamvis non sacros, nulla fit mutatio in deterius sed revera in melius. 2.

Tertia. *Bona falso Numini aut superstitioso etiam veri Numinis cultui dicata, si nequeant verti vel in profanos haud malos usus, debent plane tolli è medio.* Hoc fundamento nituntur omnes idolorum destructiones à Deo imperatæ Israelitis gentilium victoribus. Imò nititur hoc, omnium qvoqve aliorum ejus generis bonorum prohibita iisdem vel attrectatio; qvandoqvidem videlicet erat periculum, ne & ipsi victores inficerentur idololatrico cultu, atq; adeo ne qvidem profanus usus posset esse in illo populo innoxius. 3.

Qvarta. *Bona quæ pridem fuerunt versa contra consecrantium sententiam in non sacros usus, illa licet aut in æque bonos aut in non deteriores usus profanos commutare.* Quandoquidem scilicet illa jam amplius non fuerunt sacra, sed verè profana, utiqve profanatio nova nulla fit, si ita ut diximus usui cedant humano. 4.

5. Quinta. *Bona ſacra ſuperflua debent verti in uſus profanos civiles bonos.* Nocet nempe illa abundantia & perſonis pariter & ipſi cultui ſacro: itaqve ſubduci debet, & verti in uſus bonos, qvales ſolent eſſe etiam plurimi qvamvis profani.

6. Sexta. *Bona ſacra quæ tantùm ſunt utilia, aut faciunt non niſi ad elegantiam, poſſunt & debent verti in uſus quamvis profanos meliores; quales ſunt, quos exigit ſive totius reipublicæ ſive multorum hominum neceſſitas.* In univerſum ſcilicet, bona data à Deo ſunt primariò ſublevandis hujus vitæ neceſſitatibus; hic itaqve uſus ſemper præponderare debet, præſertim qvia Deus ſui cultum animis colentium æſtimat non opibus aut elegantia.

7. Septima. *Bona planè neceſſaria ſacro uſui nefas eſt profanare.* Cauſa eſt, qvandoqvidem ſacro Dei cultu nihil hominibus oportet eſſe prius: itaq; hujus neceſſitati debent cedere univerſa omnia. Qvantumvis igitur more & conſvetudine gentium receptum ſit, ſine diſcrimine ſacra omnia in victorum liberum arbitrium permittere, qvod præclare demonſtrat Grotius, *l. 3 de Jure pacis ac belli cap. V. n. 11.* neutiqvam tamen naturali juri & pietati hoc eſt conſentaneum: ut ſunt ferè plæraqve, qvæ Juris gentium eſſe ſolent exiſtimari.

8. Octava. *Ne utilia quidem aut ad elegantiam facientia licet profanare, niſi majore exigente neceſſi-*

ceſſitate. Ratio aſſerti eſt, qvoniam externa qvoq; elegantia & ſplendor facit ad excitandam pietatem religioſam ac devotionem, cumprimis apud rudem populum. Hinc ſane etiam Deus in ſua republica Ebræorum, illa qvæ ad cultum religioſum pertinebant, inſtruxit ornavitq; non tantum neceſſariis ſed etiam utilibus, imo & qvam multis tantùm ad ſplendorem juvantibus. Qvo exemplo permotus ſapientiſſimus Regum Salomon, templum Hieroſolymis condidit inſtruxitq; ea ædis & ſacrorũ inſtrumentorum præſtantia, ut omnes ſuperaverit. Qvod ſi igitur neceſſitas aliqva profana illi qvam diximus ſacræ utilitati non fuerit par, non licebit utiqve hoc bonum ſacrum cum altero profano commutare.

Nona. *Intra hoſce limites ſi contineat ſeſe is in cujus dominio, ſive eminente ſive magis proprio, continentur bona ſacra, non peccat: neq; hactenus profanatio bonorum ſacrorum quidquam habet vitii, imo interdum omninò eſt inſtituenda.* 9.

Hiſce verò poſitis conſeqvens eſt, quandoqvidem per pacta Pacis permiſſa qvidem eſt profanato, non tamen qvævis ſine diſcrimine qvaſi vitio carens laudata, propter indefinitam illam permiſſionem non eſſe fas Pacis illa pacta iniqvitatis accuſare. Et verò reapſe non niſi impunitas fuit conceſſa; qualem ſæpe neceſſum eſt in republica etiam magnis

magnis vitiis concedere. Qvod reliqvum cujusvis est conscientiæ & pietati ita commissum, ut si quis fines recti fuerit egressus, haud dubie justum vindicem Deum aliqvando sit experturus perpetrati sacrilegii. etsi in hac vita ultio nulla crimen illud sit persequta.

COETERUM non profecto in vetitos & Deo displicentes usus sacrata bona vertunt, quæ reipublicæ & Ecclesiæ necessitatibus impenduntur. Imo verò *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus:* ut jam tum audivimus dicentem S. Ambrosium. Qui quum calicibus aureis confractis captivos redemisset, addidit: *Ornatus sacramentorum redemptio captivorum est, & vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas domini sangvinis agnosco, cum in utroque video redemptionem, ut calix ab hoste redimat quos sanguis à peccato redemit.* Et quid notius, quam Asam & Ezechiam, Regum Judaicorum religiosissimos, ex consecrata gaza quæ necessitas postulavit deprompsisse; hunc etiam confractas Dominici templi valvas, quasque ipse affixerat auri laminas, pacis redimendæ caussa Assyriorum regi tradidisse? Quid notius, quam ipsummet Davidem sedandæ famis causa non dubitasse vesci panibus, quibus,

non

non uiſi ſolis ſacerdotibus cæteroqvin veſci fas erat; idq; in exemplum à Salvatore noſtro eſſe laudatum ac propoſitum? Qvi ſanè bona verè ſacra nullâ neceſſitate reipublicæ alios in uſus impendi poſſe autumant, næ illi reapſe Phariſæorum verus & vetitum dogma de Corbano infeliciter impieqve in Eccleſiam referunt. Phariſæis & in eo plurimum ſimiles, qvod ita doceant, cum tamen bonis ſacris ad omnis generis voluptates, luxum, & luxuriam, profanè indies maxima eorum pars abutatur, pauciſſimis dolentibus: quod profecto eſt *colare culicem & camelum deglutire.*

Qvid qvod familiariſſimum ſit, & Pontificibus Romanis ipſis, & omni Clero, omnibusque Monachis, bona ſua, qvaliacunq; etiam fuerint, aliis vendere, donare, cum aliorum bonis permutare? qvodqve ipſe Innocentius plurima monaſteria per univerſam Italiam exſtinxerit, bonis eorum in fiſcum, minime profecto ſacrum, alioſqve ſeculi uſus translatis? Qvi proinde qva fronte auſint dicam ſcribere Cæſari & Ordinibus Germaniæ, ejus ergo qvod neceſſitas reipublicæ ipſis expreſſit, eqvidem non video.

Non tantum verò ſola extrema neceſſitate urgente licet bona conſecrata in alios uſus impendere, ſed etiam, ceu anteqvoqve jam diximus, ſi qvando illorum ea eſt abundantia, ut qvamvis ſumma

aliquâ detractâ, tamen satis superfit ad sacrorum usus. Non dico fas esse, detractam illam summam turpiter dilapidare aut fœde consumere : non enim fas est bonis ullis sic uti. In usus qui non proprie censentur sacri licite eam impendi, affirmo: utpote cum reipublicæ salus hoc duntaxat exigat, ut ne qvid sacris usibus desit. Imò cum interfit reipublicæ, ut ne quæ nimia opum abundantia in sacro sit ærario ; ne scilicet illa sacerdotum noceat pietati ac sanctimoniæ, ceu solent divitiis mores corrumpi, qvos integerrimos in sacerdotibus servari plurimum publice interest.

Id porrò etiam certum est, quod itidem jam tum paulò ante sumus professi, illis, qui sacris bonis abutuntur sive in impiam superstitionem sive in alios vetios usus, non licere tantùm sed etiam debere omnino eripi qvicqvid habent sacrarum opum : & hoc jus, imò hoc officium, competere reipublicæ cujusvis summæ potestati. Apud omnes sane populos etiam moratissimos, omnibusque seculis, ita creditum, ita actum est: ceu alibi prolixius demonstratur. Et verò hoc jure, bona Pontificiæ superstitioni subducta ad sua veriora sacra, nimiam eorum abundantiam in alios publicos apud sese usus transferri, meritò Protestantes à Republica communi Germaniæ sibi impetraverunt.

Ut proinde translationem illam, in Catholicorum conſcientia errante, extrema Eccleſiæ & Reipublicæ neceſſitas, in Proteſtantium rectâ conſcientiâ utilitas ſumma Eccleſiæ ac reipublicæ, excuſet. Nec in ea re limites officii ſui Respublica exceſſit, utpote qvum cujusvis Reipublicæ & jus & officium ſit, non minus de bonis ſacris qvam de aliis ita conſtituere, prout publice expedierit cuivis civitati. Qvæ latius perſeqvi non eſt hujus inſtituti.

Nec verò etiam ulla forte neceſſitas exigit, ut illa qvæ diximus de ſumma *poteſtate cujuslibet reipublicæ in bona quævis ſacra*, multis nos qvidem probemus; qvandoqvidem tantum non omnes Juris, ſaltim Civilis Romani, doctores, unanimi conſenſu id approbant: præeuntibus nimirum *l. jubemus, Cod. de Epiſcop. & ſacroſanctis Eccleſiis l. 2. Cod. de navib. non exc. l.* item *ſacræ res ſunt. Inſtitut. de rerum diviſ.* aliisqve omnibus legibus Juſtinianeis, qvibus de bonis ſacris non minus atqve de profanis varia ex reipublicæ uſu decernuntur. Non fas etiam eſt, huic ſententiæ ipſis Juris Canonici magiſtris, obloqvi; ſi qvidem illi velint tueri id qvod *Diſtinct. VIII cap. quo jure* verbis Auguſtini pugnantis contra Donatiſtas ſancitum eſt: aut admittere illud Ambroſii ad Auxentium: *Agros Eccleſiæ, ſi vult Imperator, tollat: poteſtatem enim habet vindicandorum.* Usqve ſane adeo id liqvet, ut

ipse Paulus Laimannus Moralis Theologiæ omnium in Germania peritissimus Jesuita in sua *Justa Defensione f. 3 & seqq.* non ausus fuerit dissentire. Fatemur tamen, in Decretalibus omne bonorum illorum sacrorum summum dominium Potestatibus civilibus eripi & Papæ soli vindicari: atqve adeo juris illius verè Pontificii propugnatores qvasi cogi in diversam sententiam, repudiato capitulo *quo jure*: ac proinde non etiam illorum consensu nostram illam dissertationem comprobari posse.

Multo minùs autem exigit necessitas, ut operâ nostrâ hîc pluribus demonstretur, etiam Alterum illud qvod professi sumus; *fas esse, bona quamvis Deo dicata interdum in profanos vel alios usus vertere*: qvandoqvidem in id universi Doctores & Canonici pariter & Civilis Juris consentiunt: cumprimis, qvoniam diserte ita cautum est etiam *cap. Aurum Ecclesia habet*, verbis Ambrosii ex *l. 2. c. 28 de Offic.* jamtum à me qvoqve laudatis. Consentit porrò in id perpetuus etiam usus sanctæ primitivæ Ecclesiæ per secula qvamplura: ut adeo ex illo qvidem ævo adversum nihil liceat producere, consentientes autem actus longè plurimos. Qvid? qvod idem etiam nostris temporibus sit receptissimi moris, & qvidem ipsismet Romanis Pontificibus? Inseruit sanè Petrus Matthæus septimo suo Decretalium volumini *l. 1. Tit. VII cap. 3* Bullam Pauli

Pauli III, qva in usum belli Turcici, conceditur facultas alienandi census nonnullos Cameræ Apostolicæ, & *Capite VII* Bulla Sixti V, permittens bonorum immobilium Gallicanæ Ecclesiæ alienationem in subsidium belli ad exstirpandas hæreses. Similes Bullæ in Bullario magno referuntur complures. Dignum memoriâ est qvod de Clemente VII narrat Onuphrius, illum in apparatum belli non vasa tantum sacra vendidisse, sed etiam Cardinalitiam dignitatem plus licitantibus obtulisse. Mitto alia id genus exempla infinita. Qvid, qvod, testetur Nicolaus Sanderus *l. 2. de Schismate Anglicano*, regnante in Anglia Maria, Reginaldum Polum Legatum Pontificium, illis qvi indultu Henrici Octavi Regis bona sacra in profanos usus possidebant, modo ad obedientiam Paparum reverterentur, *publico instrumento Pontificis nomine, de ejusmodi bonis ac possessionibus, quoad pœnas & censuras Canonicas in perpetuum securos & absolutos declaravisse.* Autor qvoqve *Actionis perduellionis in Jesuitas*, qvem constat esse Casp. Scioppium, palam narrat, Clementem VIII Papam ad Ecclesiam Romanam invitasse, proposita secura possessione omnium monasticorum Ducatus Wirtembergici occupatorum bonorum, Ducem Fridericum. Imo de ipsis illrs bonis qvæ Pacis pacto Protestantibus cesserunt, etiam Jesuitas idem sensisse, liqvet ex iis,

qvæ de monasticis bonis, edicto Eerdinandi secundi Imperatoris qvasi recuperatis, non dubitaverunt ille aperte profiteri, in Dillingensi libro qvi inscribitur *Placida disceptatio.* Hæc sane verba leguntur pag. 6: *Imperator ratione justitiæ obligatur, ex monasteriis recuperatis Ecclesiarum*, sive Episcopatuum, *debita dissolvere*, *dare militibus*, *rempublicam opis egentem adjuvare*, pag. 15. *Ex monasteriis Episcopatibus succurritur*, *dantur commendæ benemeritis & accipiuntur. Hoc sacrilegio deputare*, *est hominis leges ignorantis.* Pag. 16: *Potest ex monasteriis Episcoporum necessitatibus donari, stipendia militum assignari, ubi alia desunt.* Pag. 24: *Cur ægrè ferant Religiosi, quædam monasteria Cardinalibus Archiepiscopis Episcopis cedere?* Pag. 34: *Episcopi gravia damna passi sunt. Æs alienum contraxerunt, ipsi auxilio monasteriorum vacantium egent, petunt, & accipiunt.* Imò in ipso libri frontispicio docetur: *Principibus secularibus in sumptuum compensationem belliq; adjumenta bona isthæc monastica ad tempus* donare, licitum. Non asseruntur verò hæc duntaxat in isthoc libro, sed multis etiam rationibus adstruuntur. Idem fit qvoqve à Laimanno in suæ qvam appellavit, *Justæ Defensionis proœmio*, *n. 28. 30 & 31.* Qvæ omnia liqvidò sane ostendunt, nullam mihi necessitatem hìc incumbere, ut demonstrem, omnem omnino sa-

crorum

crorum bonorum in profanos usus translationem haud à jure vel æqvitate dissentire.

Falsissimum vero etiam POSTERIUS illud est: *Bona omnia Protestantibus per pacem concessa, de quibus ereptis Papa conqueritur, esse bona sacra aut Deo dicata.* Nec enim Deo sunt devota saltim illa, qvæ non nisi emptione, permutatione, vi, aliisq; vulgaribus modis & titulis, in Cleri & Monachorum potestatem devenerunt. Sunt autem talia longe plurima. Qvæ Deo porrò sunt dicata, illorum opimior potiorqve pars talis est, ut in sacros usus aut divinum cultum cedere aliter neqveant qvàm illa qvæ profana vel secularia audiunt: hæc autem dum publico commodo cedunt, eo ipso in usus Deo gratos impenduntur. Talia autem non verè ac reapse Deo sunt sacra præ aliis bonis, etsi pio qvodam errore sint sacrata; verùm tota sua natura sunt secularia: solis iis, qvæ proprie proximeque sacris usibus inserviunt, vim & essentiam sacrorum bonorum tenentibus.

Nec verò Principatus & Comitatus e.gr. apti sunt, ut singulatim Deo devotis sacris bonis annumerentur; etsi plærique eorum isthac lege Clero concessi sint. Atqui nominibus *Archiepiscopatuum* & *Episcopatuum*, quos Papa conqveritur *sublata denominatione Ecclesiastica hæreticis in feudum sub dignitatis secularis titulo concedi*, nihil aliud quam Principatus

cipatus

cipatus & Comitatus varii indigitantur. Qvidam sane Archiepiscopatus Episcopatusqve Germaniæ diserte ipsis suis titulis Ducatus & Principatus suos ostentant: omnes nostri Episcopi, multi Abbates, & sunt & audiunt Principes. Qvæ voces, qvid aliud qvam *dignitates seculares* significant? Reapse sanè omnis secularis jurisdictio est pars muneris Comitivi, prisco Germaniæ instituto.

Quotusqvisqve vero est etiam vel Abbatum potiorum (de Episcopis non dicam) qvi non illa dignitate gaudeat?

Adhoc bona qvæ inveterato more in profanos usus vertuntur, illa qvamvis olim Deo sint dicata fuerintqve sacra, jamdudum tamen vim naturamqve suam mutavere ac profana reddita sunt. Etiam hæc verò magnam conficiunt partem bonorum qvæ Ecclesiastica audiunt. Commune nimirum sacris pariter est & profanis bonis, ex hominum instituto & moribus, accedente Reipublicæ auctoritate, aliam atqve aliam conditionem subire. Non certè vel divina vel naturæ lex sacris bonis perpetuam & immutabilem aliqvam vim indidit.

Notandum postremò, id qvod jam tum ante non semel inculcavimus, nihil fere non istarum opum, more communi Germaniæ, & legibus & oneribus Reipublicæ, ceù opes seculares, manssisse obnoxium Qua de re etiam Gailius recte differit *l. 1. obs. 30. ad*

num

num usque octav. Quod indicio est haud obscuro, opes illas nunqvam habitas omni ex parte sacras, sed communi usu & totius Imperii judicio, profanorum bonorum naturam semper retinuisse.

Et verò monumenta Imperii antiqva lustrantibus manifestum est, non tantum primâ & secundâ florente Francorum Regum familia, sed etiam diu pòst, donec Hildebrando auctore erepta est Regibus nostris prisca auctoritas & potentia, juris Regii fuisse, ipsa monasteriorum, saltim non omninò necessaria, bona, Principibus aut militibus optimè de republ. meritis, si alia præmia deessent, tanqvam in laborum mercedem donare, creatis Abbatibus & Præpositis tantum habitu à Laico ordine differentibus. Historiæ antiqvæ talium actuum plenæ sunt. Imo verò adhuc sub finem seculi duodecimi Henricum VI Regem non dubitasse Ecclesiam Urspergensem aliis oppignorare, liquet ex iis quæ narrat Conradus illius monasterii Abbas in Chronico ad annum 1226. Prolixe id ostendere promptum fuerit, si institutum pateretur. Sed & fuerit hoc sine caussa, quia hodie qvoqve in Gallia est frequentissimum, Abbates Priores & Præpositos ejusmodi instituere: imò & in Bajoaria ipsâ nostrâ, monastica bona opibus Cameræ Principum accensentur, & non multo ante idem in toto Bohemiæ regno obtinuit. Taceo nunc, quod bona defunctorum

Episcoporum fuerint olim fisco Imperatorio addicta, usque ad seculum tertium decimum; qvod egregiè ostendit singulari opusculo Henricus Meibomius; imo idem mos remanserit in Hungaria & ipsa Austria ad Ferdinandum secundum usqve, qvod recte docuit Chokierius *l. 2. Aphorsim. Politicor. pag. 206*, deceptis scilicet tandem optimis Cæsaribus, olim qvidem Ottone qvarto & Friderico secundo, nuper vero, & Ferdinando secundo, qvasi isthæc bona sint sacra: Papali interim Curiâ passim terrarum, in Hispania præsertim & Italia, illa ut loquuntur, defunctorum spolia in ærarium suum minime sacrum etiam nunc attrahente.

Et verò est in universum longè verissimum, qvod Vivariensis Episcopus in ipso Tridentino Concilio non dubitavit coram Patribus illis affirmare: *Clericorum patrimonium rem secularem esse, de qua Ecclesiasticis legibus nihil constitui possit:* ceu legere est in Concilii illius incomparabili Historia qvæ Petrum Suavem auctorem fingit. *l. 6 pag. 479.* Sed & ab aliis quoque quammultis utriusqve Juris peritissimis scriptoribus egregie demonstratum est, magno discrimine differre, bona verè Ecclesiastica atqve Ecclesiasticarum. Operæ fuerit pretium considerasse duntaxat, quæ habet Panormitanus *in capit. sancit. n. 9.* Covarruvias *Practic. quæst. 34. n. 20. vers. Cont. opin.* Menochius *Cons. 291. n. 10.* Mas-

cardus

cardus *de gen. stat. interpret. concl. 1. n. 16.* Nihil sane absurdius est, quàm omnia bona fieri Ecclesiastica simul in Cleri possessionem deveniunt. Quasi nimirum, ut est in Midæ fabula,

contactu gleba potenti

illico fiat *Massa* sacra.

Impium quid habet porro, illa bona *spiritualia* nuncupare. Remotissima profecto hæc vocis usurpatio est à loquela Sacri Codicis, qui aliter profecto sapere aliter loqui nos docuit.

Ut seorsim verbulo tangamus illa Pontificii juris bona, quæ Innocentium sollicitum adeo habent, num Palliorum proventus, Annatæ, Confirmationum & Reservationum reditus, atque id genus alia, sunt Deo dicata bona? Non Respublica non Clerus Germanus profecto illa umquam Deo dicavit; semper doluit abripi illa sibi invitis. Querelæ perpetuæ scriptis comprehensæ in medio sunt. A quoquam Paparum factam illam consecrationem, nusquam legere etiam est. Saltim igitur Deo dicata non sunt. Qva fronte porrò dixeris, illa esse vere *bona sacra*, cum in sacros usus nunquam impendi soleant, imo nec vel obtentu ejusmodi finis exigantur? Carolus V sane non dubitavit exprobrare Clementi VII Papæ, illâ pecuniâ exercitus ali ad se impugnandum. *Quod, si* inquid, *justa aliqua ratione vel caussa Apostolica Sedes his lucris careret,*

ret , non essent claves aureæ, quæ bellorum archivia pro libitu aperire & claudere solent ; nec Vestra Sanctitas ex Regnorum nostrorum pecuniis atque reditibus exercitum in nos concitaret, nec temporalia arma moveret, quibus potius justum videretur ad nostram defensionem uti. Non ideo autem & Pontificia hæc censenda *sacra* sunt , qvod vel propter rem sacram, qvalis est collatio Pallii & confirmatio Episcoporum , vel ex bonis sacris , ut nec quod ab ipso Romano Papa hominum sacerrimo accipiantur. *Primo* enim non omnia quæ Papa vel clericus aliquis accipit sacra sunt. Nemo *secundo* dixerit , omnes bonorum sacrorum proventus , simpliciter esse sacros. Si autem pecunia omnis quæ propter rem sacram penditur sacra sit , jam omnis Simoniaca pecunia fuerit sacra : contrà nihil à vero sacro remoti? nihil profanius est illis nummis. Tantum abest igitur , verè sacra aut Deo dicata esse illa Pontificia, ut sint profana adeo quàm quæ sunt profanissima. Imo sint inferioris adhuc ordinis, qvam sunt profana illa quæ intra justi limites consistunt. Vix sane Pontificias illas exactiones probaveris jurì & æqvo esse consentaneas : nec quid dicam gravius.

R. ad III. Sed De eo qvi objiciebatur facto obtentu , *quasi bona Protestantibus cessa sint Ecclesiastica*, plus satis. In Perpetuum autem qvo minus fieri debeat

debeat cessio ejusmodi , nihil itidem obstat qvod quidem sit alicujus momenti. Ante omnia sane fatendum utique venit, sine bonis istis sacra qvævis bene habere se posse: & bona isthæc per se & proprie ad sacra servanda non esse necessaria. Sine qvibus verò religiosus Dei cultus integer perdurare potest, illud perpetuò potest ab illo cultu abesse. Ac proinde Cæsar & Ordines Catholici in perpetuam cessionem bonorum istorum consentire potuerunt salvis suis sacris. Posse porrò ejusmodi bona, saltim si publica utilitas aliud haud jubeat, in perpetuum alienari, nemo negaverit; cui notum, perpetuas alienationes, venditione, permutatione, donatione, bonorum istiusmodi institui frequentissime à Clericis omnibus. Saltim igitur nec divina nec naturæ æterna qvædam lex perpetuam alienationem prohibet. Ex adverso, Pax, qva nec Reipublicæ nec Catholicæ Ecclesiæ qvidquam fuit utilius, sine perpetuitate concessa, obtineri haud potuit per Catholicos Imperii Ordines. Quidni ergo, quod non erat nefas, urgente necessitate fuerit factum licitum? Ad hoc, quo tempore Pax coit, nulla superfuit spes recuperandi bona isthæc: æstimatâ quidem secundum leges prudentiæ humanæ Catholicorum Ordinum conditione. Ostendit hoc ipsum Irenæus Eubulus multis adductis rationibus *Sectione prima Hypothesi XI, XII & XIII.* ideoqve nunc

haud neceſſum eſt denuo hoc agere. Haud abs re autem fuerit adjungere iis qvæ idem Eubulus diſputavit *Sectione ſecunda Concluſ. I. & II.* Quod in perpetuum verò jam periiſſe judicat prudentia, id profecto in perpetuum cedi poſſe nemo prudens negaverit. Injuſte itaque hoc nomine Cæſar aliique Catholici Ordines Imperii ab imperitis accuſantur.

Sunt fateor nonnulli, qui exiſtiment, *in perpetuum* nihil concedi hæreticis oportere, quoniam hæreſes non poſſunt *perpetuo* durare: non eſſe quoque fas *in perpetuum* aliqvid eripere Romanæ Eccleſiæ, qvia hæc nunquam eſt interitura. Sed in his qvidem multiplex latet vitium. Utut enim largiamur Romanæ Eccleſiæ æternitatem, & hæreſeos etiam interitum; qvia tamen ſaltim bona per ſe ad Eccleſiæ ſalutem non faciunt, illorum conceſſione perpetuâ, æternitas nec hæreſi vindicatur, nec Romanæ Eccleſiæ detrahitur. Porro dum hæreticis conceditur aliquid *in perpetuum*, non eo ipſo conceditur aliqvid ultra tempus qvo duratura eſt: Si Romana itaque Eccleſia ſuperfuerit hæreſi jam extincta, ſuapte natura fortè redibit ad illam Eccleſiam id qvod *in perpetuum* hæreſi erat datum. Adhoc, ne in univerſum qvidem promiſſa à Deo eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, in hiſce qvidem terris, conſtans perpetuitas, multo minus ſeorſim Romanæ. Perperam

ſan

sane huc trahi illa Salvatoris : *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*, demonstravimus jam tum *Capite tertio Concussionis Fundamentorum Fidei Pontificæ*. Idem astruxi pluribus contra *Walenburgios, cap. xi*. Ex ad adverso, quoniam prædictū est à Salvatore, novissimi Judicii tempore vix Fidem salutarem su perfore, liquet aut nusquàm aut certe perexiguam Ecclesiam tunc inventam iri. Curiam præterea Romanam, Pontificumque imperium interiturum pridem ante novissimum diem, liqvidò manifestum est, ex iis quæ de extremo excidio Urbis & Papalis potentiæ *Apocalypseos capite decimo septimo* Dominus revelavit. Etiam igitur illa nullius sunt momenti.

OBITER meretur hoc loco notari non malus cœteroqvin Caramuel. Is enim etsi aliàs non iniqve se gerat, de *perpetuitate* tamen qvoties sermo incidit, bonam causam reapse plane deserit. Numero sane 46 *Pacis Licitæ* scribit : *Hic video benignius procedere argumentorem. Pactum temporarium iniri posse statuit, at perpetuum negat ; cum tamen certum sit omnem humanam æternitatem & perpetuitatem paucos annos excedere.* In eandem sententiam passim loquitur. Cæterum ita qvidem comparatum est cum rebus humanis, ut æterna etiam pacta non multò pòst violentur : id verò iniqve

qve fieri & contra fidem datam, itidem certum est. Pactum utique æternum in perpetuum partes contrahentes obligat. Qvi verò æternum pactum init isthoc animo, ut non nisi paucis annis velit servare, is graviſſime in Deum & jura humanæ ſocietatis peccat. Si hoc itaque vult Caramuel: Pactum cum Proteſtantibus initum, etſi perpetuum debeat dici, non tamen niſi in paucos annos obligare, profectò vix ab impietate etiam illum abſolveris. Sed minus circumſpecte forte locus eſt, cum optime ſentiret.

ANTEAQUAM denique omnem hunc locum deſeram, non poſſum non adhuc in Bullam ſpargere aliqvam animadverſionem antehac diſſimulatam. Verba nimirum Bullæ hæc inter alia ſunt: *Annatæ, Jura Pallii, Confirmationes, Menſes Papales, & hujusmodi jura ac Reſervationes, in bonis Eccleſiaſticis dictæ Confeſſionis Auguſtanæ excluduntur.* Nos qvidem probavimus prolixe, jure merito licuiſſe Reipublicæ Germanicæ omnia iſthæc *excludere*. Longe cautius tamen Cæſarem & Catholicos Imperii Ordines circa hæc Papalia jura ſeſe geſſiſſe, ipſa verba utriusque Pacti manifeſtum faciunt. Illa hæc ſunt Art. v. §. 5: *Si quid Annatarum, Jurium Pallii, Confirmationum, Menſium Papaliam hujusmodi jurium & Reſervationum nomine, in bonis Statuum Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiaſticis immedi-*

mediatis, à quocunque, quandocunque, aut quomodocunque prætendatur, id validitate & executione à brachio seculari impertienda careat. His verbis profecto non nisi impunitas permittitur, ceu jam tum hoc ipso Capite innuimus, non autem simpliciter prætensa jura illa Papalia *excluduntur*. Inter hæc certe multum est discriminis. Aliud sanè est permittere qvidpiam, aliud ultro largiri. Aliud porro est permittere qvod facile est correctu, aliud vim armatam negare, qva sine obtineri res neqveat. Aliud deniq; vim illam negare cum tenearis præstare & possis: aliud illam negare cum non possis nec tenearis: sicut nec potuisse nec obligatum fuisse Cæsarem præsertim haud satis à Pontifice adjutum, jam *Capite sexto* demonstravimus.

Caput IX.

Innocentium falsò arrogare Papis, jus Cùm conferendarum Precum primariarum, Tum omnes de bonis Ecclesiasticis contractus confirmandi.

VERUM hisce amplius immorari nullum est pretium operæ. Et verò iis, qvæ in medium allata sunt, probè expensis, totum illud, qvod Primam partem hujus disputationis specialioris fore initio *Capitis sexti* promisimus, liqvidò jam patet: Nimirum, *& tempore conditæ Pacis nihil juris*

Papæ superfuisse, & quamvis aliquid ahhuc habuerit juris Papa in illa, de quibus conqueritur, Germanicæ tamen Reipublicæ competiisse Summam potestatem de ijs ex usu publico constituendi. Proximum est, ut tandem & ALTERAM partem disputationis illius institutæ aggrediamur: ut ostendamus videlicet, *quædam suis juribus inique Papam annumerare.* Id tamen non nisi paucis persequemur, ad finem properante nostra hac Animadversione, & quidem in exemplum adductis solum tribus, quæ minus nimirum controversiæ habere videntur. Etsi aliàs longe plura in hunc censum deberent meritò transferri.

I. Hoc tamen Capite tantum Duo expediemus; Tertium proximo reservabimus. PRIMUM illorum est, quod de PRECIBUS PRIMARIIS, quas vocant, ita loquatur Papa, quasi illas soli suæ liberalitati debeant nostri Imperatores. Non equidem negaverim, à Papis solere jam aliquamdiu tale quid Cæsaribus concedi. Et verò jam Speculator scripsit *l. 4. part. 3. de Præbend. & dignit. §. restat. n. 7.* visum sibi tale aliquod bullatum Papæ privilegium. At verò jus hoc Cæsareum niti solis Papalibus concessionibus, id verò neutiquam admittendum: idque, quoniam ante plurima jam secula Cæsares hoc jure fuerunt usi, non agnoscentes donum aliquod

qvod Papale, sed tanqvam antiqva consuetudine aliqvod sibi Regium debitum. Extant sane apud Nauclerum *vol. 2. generat. 43. fol. 863.* ut & *Goldastum Tomo 3. Constit. Imperial. fol. 406* in epistola Rudolphi I. Cæsaris hæc inserta verba: *Cum ex antiqua & approbata, ac à Divis Imperatoribus & Regibus inclyta recordationis nostris antecessoribus usque ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia, in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione beneficii, Precum nostrarum primarias admittere teneatur; devotionem Tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem spectat, ob reverentiam Sacri Imperij & nostram, studeas liberaliter providere.* Recitantur etiam à Marqvardo Frehero in *Notis ad Petrum de Andlo cap. 6.* literæ duæ, alteræ Caroli IV, alteræ Wencenslai. In prioribus hæc legas: *Cum nobis tam de jure, quam antiqua & approbata consuetudine, à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus observata, competat, quod ex coronationis nostræ solenniis ad Romanorum regum, in quolibet monasterio in Imperio constituto, unam tantùm personam virtute Primariarum Precum nostrarum ad beneficium Ecclesiasticum facere pos-*

simus promoveri. Wenceslaus similiter appellat hoc jus, rem *ab antiqua consuetudine Divis Romanorum Regibus suis antecessoribus & sibi competentem*, idqve *ratione suæ coronationis in Romanorum Regem eo ipso die Aquisgrani solemniter susceptæ.* Hæc profectò plurimum absunt, ut preces illæ debeantur Papali gratiæ. Ne verbulo enim in his qvidem Cæsariis tabulis Papalis beneficii fit mentio. Qvin imò hoc jus ejus est generis, qvale illud, qvod vi qvasi coronationis suæ. Imperator fiat Aqvisgrani qvidem Canonicus Collegii S. Mariæ, Coloniæ Canonicus Majoris Ecclesiæ, Romæ verò Canonicus D. Petri. Qvæ itidem Papis haud debentur; sed fortè tenues sunt reliqviæ antiqvi & pariter antiqvati juris Cæsarei circa collationem Episcopatuum, Abbatiarum aliorumqve Ecclesiasticorum beneficiorum. Vel potius concessiones qvædam piæ vetustissimæ omnium collegiorum sacrorum in Cæsares factæ: perinde atqve & Monachorum Ordines participes eos fecerunt suorum meritorum, suarumq; precum, singularibus etiam institutionibus.

Exhibet Wilhelmus Heda in Historia Episcoporum Ultrajectensium, qvo loco agit de Heriberto Episcopo XXVI, Conradi III Cæsaris diploma *pag. 164* editionis Buchelianæ: ubi hæc notatu digna leguntur verba: *Attendentes etiam, nos*

&

& anteceſſores noſtros Reges & Imperatores, in dicta Eccleſia à fundatione ejus inter Canonicos primum locum obtinere, noſtramq; præbendam in eadem duos deſervire Sacerdotes, pro noſtrâ ſalute & Regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes &c. Conditum autem eſt illud diploma Anno 1145, confirmatumq; ab ipſomet Eugenio Papâ. Illuſtrare conatus eſt *pag. 165* iſthæc verba diplomatis Arnoldus Buchelius doctus Hedæ commentator, diplomate alio Henrici Imperatoris, qvi id nominis ſextus fuit, oblitus jam tum ante *pag. 151* idem fuiſſe productum. Qvoniam opus illud Hedæ in paucorum eſt manibus, diploma autem illud multum lucis toti huic negotio videtur adferre, non erit grave illud hic integrum legi atq; expendi. Eſt autem hoc: *Henricus divina favente clementia Rom. Imperator ſemper Aug. & Rex Siciliæ, dilectis fidelibus ſuis Præpoſito, Decano, totique Capitulo S. Martini majoris Eccleſiæ Trajectenſis, gratiam ſuam & omne bonum. Quum antiquiſſimis retro temporibus Rom. Reges & Imperatores, anteceſſores noſtri, veſtram ſint experti devotionem, eo quod communi electione & canonica, Regem Romanum ſeu Imperatorem pro tempore exiſtentem, & eorum ſucceſſores, in Canonicum Eccleſiæ veſtræ & fratrem elegiſtis, facien-*

do præbendam ipsius debitis officiis per duos sacerdotes à Rege seu Imp. instituendos, qui pro Regibus & Impp. ac tranquillitate pacis ac regni Dominum incessanter exorarent. Proinde nostra Imperialis excellentia ad nostram Ecclesiam protectione tenebitur speciali. Verum quia nostræ Eccell. innotuit, quod mortuis sacerdotibus prædictis, Regibusque & Impp. interdum in remotis agentibus, neglectum est hujusmodi in vestrâ Ecclesiâ instituere sacerdotes, & cum de his quæ ad Deum sunt, major à nobis diligentia requiritur : nolentes per hujusmodi negligentiam ecclesiam nostram debitis in hac parte privare obsequiis; Regia auctoritate statuimus, ut stipendium præbendæ nobis assignatæ per manum Theodorici Decani ipsius majoris Ecclesiæ ejusque successorum in perpetuum duobus sacerdotibus conferatur, qui illud officium deservire, & ut præmittitur, pro nostrâ salute & Imperii tranquillitate idonei existant Dominum exorare. Et ut hæc rata maneant & inconvulsa perpetuò teneantur, sigilli nostri impressione hanc chartam jussimus insigniri. Datum anno Regni nostri XI Indict. VI. mensis Maji die XVII. In Christi nomine, Amen. Hactenus Diploma Cæsareum. Discere autem hinc est, *primo*, in Ecclesia qvidem illa Trajectina competiisse Cæsaribus primam præ-

præbendam Canonicalem ; *Secundo* illius præbendæ Imperialis usum fructum cessisse duobus sacerdotibus constitutis ad preces *pro Regibus ac Imperatoribus, proq; tranquillitate ac pace regni* fundendas : *Tertio* illam præbendam Cæsaribus nullo Papali beneficio obtigisse : *Quarto* jus constituendi illos sacerdotes precibus fundendis competiisse Cæsaribus. *Quinto* : qvum Cæsaris præbenda illa fuerit primaria, illaq; consecrata precibus, qvas diximus, competiisse in Ecclesia isthac Cæsaribus jus primariarum precum.

Ad exemplum Trajectinæ Ecclesiæ haud dubie etiam aliæ composuerunt sese per universam Germaniam. Unde liqvidum est, *jus primariarum precum* non debere Cæsares Pontificibus Romanis : sed hos per injuriam summam cœpisse Cæsaribus donare qvæ semper jam ante fuerant Cæsarum, idq; factum esse iniqvo prætextu dominii Papalis omnium bonorum sacrorum. Ex utroq; porro illo Diplomate jam etiam constat vera significatio vocum illarum: *Preces primariæ* ; qvodq; perperam vulgo istæ accipiantur, tanqvam *precariò* Cæsares hoc jus obtineant. Non mirum tamen est fortassis memoriam veræ significationis periisse, qvoniam & usus ipse pridem desiit. Et verò recte nescio qvis, ut legimus apud Buchelium, adscri-

scripserat jam olim Diplomati Henrici Cæsaris: *Sunt & hodie* (Trajecti scilicet) *Præbendæ quæ Imperiales vocantur, quarum commodis & utilitatibus nonnulli fruuntur, parum de precibus solliciti.*

Cæterùm nullo beneficio Papali deberi Cæsaribus *jus primariarum precum*, potest ac debet merito qvemvis admonere vel solum exemplum Regum Galliæ, qvi itidem jure hoc Regio fruuntur per universum Regnum, tanqvam mere suo, & nulla ex parte sibi per Romanos Papas concesso.

Ut proinde jam liqveat prima iniqvitas Innocentianæ Bullæ, Papali Curiæ suæ vindicantis qvod nunqvam jure fuit suum.

II. Ejusdem verò iniqvitatis est & ALTERUM, qvod in Declaratione hisce verbis ab irato illo imò sævo Patre proponitur: *Notissimi juris est, quamcunque transactionem seu pactionem, in rebus Ecclesiasticis sine præfatæ Sedis auctoritate factam, nullam, nulliusque roboris & momenti existere,* Merito sane roget hæc legens; cujus juris illud sit. An æterni Naturæ? An positivi? Naturæ æternum jus ignorat Pontificiam Sedem: eoqve nihil de Sede isthac constituit. Positivum autem omne jus vel divinum est vel humanum. Nusqvam verò in voluminibus divinæ legis (non dico Mosaicæ qvæ

quæ reapse fuit dicata civili usui Reipublicæ Ebræorum) sed Novi Testamenti, quæ omes obligat, legas tale quidpiam. Et verò ista quidem divina Lex rerumpublicarum civilium fundamenta eversa noluit, sed illa stabilivit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, reddi jubens. Evertisset autem, si transactiones in Republica omni factas de bonis Ecclesiasticis, â Pontificis Romani, h. e. hominis extra rempublicam positi & extranei Principis, auctoritate & arbitrio suspendisset. Unicuiq; sanè perfectæ reipublicæ in omnia sua competere summam potestatem, hujusq; nihil exrerno deberi, inter prima est principia cujuslibet reipublicæ. Illa tollere & mutare, est respublicas evertere. Quod à Lege divina procul est. Tota sane Ecclesia jam multis seculis cecinit: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* An Lege ergo humana ita cautum est ? Constitui igitur ita debuit à Summis Rerumpublicarum Potestatibus: utpote qvum penes hasce solas de rebus suis constituendi arbitrium sit. At hoc fecit nulla. Utqve feciſſet per imprudentiam, posset hanc constitutionem qvælibet Summa Potestas revocare, seseqve ipsam restituere in integrum; experta jam scilicet summum imprudentis suæ concessionis damnum; qvod ita constituens per imprudentiam haud attenderat. Cæterum nulla, quod equidem sciam,

Rerumpublicarum Europæ tale qvidpiam constituit. Germania certe nunquam adeo solemnia insanivit.

Nulla ergo lege ita constitutum est, præterquam forte Pontificia. Et verò tale aliquid jussit primus Gregorius X *cap. Hoc consultiss.* & quam maxime Paulus II Papa *extr. Ambitiosa.* Est autem *initiò* observandum, Gregorium qvidem decimo tertio, sed Paulum sedisse demum seculo decimo qvinto : antehac autem, ne qvidem à Gregorii usque septimi ævo, qvi primus Monarchiam Papalem, sed serò, seculo undecimo nempe, instituit, multò minus priscâ omni à Christo usqve tempestate, tale qvidqvam vel auditum fuisse, vel à qvoquam, quamvis rebus suis quàm maxime per fas & nefas studentium Pontificum, tentatum. Ut proinde vel hinc possit illarum Bullarum iniqvitas perspici. *Secundo*, non licet Papis legem condere in præjudicium & damnum alicujus reipublicæ. Quamvis *Tertio* Respublica hactenus connivendo aliqvid indulsisset Pontificibus, potuit tamen eadem, ubi ex re fuit, illam tollere. Eoqve etsi forte Bullarũ istarum usum tacite permisisset hactenus Germania, omnis tamen illarum obligatio & vis suspensa fuit à libero Reipublicę arbitrio. Ac proinde non habet Papa justam caussam urgendi Bullas istas, si placuit Reipublicæ illas amplius non observari.

AT vero nec usus ipsius *Ambitiosæ* unquam plene probatus fuit : quantumvis etiam in formulas juramentorum, quib⁹ hodie Episcopi & Prælati sese obstringunt Romano Pontifici, receptum sit illud: *possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice.* Testatur sane ipse Martinus Navarrus, illud Pontificii juris oraculum, in *Manuali Confessarior. c. 17. n. 15. Consuetudinem valere contra illam* Paulinam Ambitiosam, *credereque se, nullibi esse receptam.*

Ad hoc ipsa illa *Ambitiosa* noluit quenquam obligare *in casibus in Jure permissis :* nec aliud intendit, qvàm *occurrere ambitiosæ cupiditati illorum præcipue, qui divinis & humanis affecti, damnatione postposita, immobilia & pretiosa mobilia profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt.* Jam autem necessitas & summa utilitas Ecclesiæ ac Reipublicæ, casus sunt ab omni lege positiva excepti. Ac proinde ex communi etiam Interpretũ Canonici juris sententia, nulla vis est vel ipsius *Ambitiosæ*, si aliud summa utilitas aut summa necessitas jusserit. Imo verò nec ulla vis

est juramenti Pontificibus facti, de non alienandis bonis sine ipsorum imperato consensu, si aliud extrema necessitas exigat: ceu docet ipse Sylvester *v. Alienatio q.17.* cum Panormitano contra Joannem Andream. Quid, quod ut *Hoc consultis.* ita *Ambitiosa* fundamentū habeat, Papam esse dominum directū bonorum Ecclesiasticorum? Id verò à pauciſſimis soleat asseri, ac non nisi iis qui Curiæ sunt mancipati, etiam post Pauli II, tempora.

MERETUR vero cumprimis hoc quoq; attendi, quod, ceu dixi, ipsa *Ambitiosa* ne quidē in Germania vim aliquam hactenus acceperit. Non alios nunc dabo testes, quàm ipsos Ernestinos hyperaspistas Jesuitas, qui anno quadragesimo octavo prolixum ediderunt librum titulo *Responsi Theologici super Quæstione, An Pax &c.* contra notas nescio cujus Irenici. Cum enim Irenicus ille dixisset: *Extravagans Ambitiosa in Germania non est recepta.* Addidisſetque: *Consulatur Sylvester v. alienatio §.17. Navarrus, Cajetanus, Lessius, & alii passim. Juramentum autem, quod fit supra istam Extravagantem, non obligat, nisi ubi & quatenus est recepta. Videndus Sanchez in Moral. Suarez, Bonacina & alii.* Cum inquam ita ille Irenicus scripsisset, hi ingenue respondent. *Extravagantem Ambitiosa, quæ prohibet alienationem*

onem bonorum Ecclesiasticorum, quæ ad mensam vel jus Episcopi spectant, hic non obtendimus. Credimus enim in Germania non esse, saltim in omni vigore, receptam, ideoque nec juramentum super ea plus obligare quàm receptum sit.

Ex quibus manifestum est, iniqvum esse illud Declarationis crudum & illimitatum pronunciatum, de *recepto jure*: cum *primo* nusquam terrarum hoc quidem sit receptum: simpliciter omnes transactiones de rebus Ecclesiasticis, & quidem non etiam exceptis iis, quas summa necessitas aut utilitas expresserit, irritas esse sine auctoritate Pontificis; cum *secundo* qvicqvid illius juris est receptum, tantum valeat, ex ipsa legislatoris mente, in casibus ubi ex ambitiosa cupiditate bona Deo dicata alienantur: cum *denique* ne ita quidem usqvam terrarum plene illarum constitutionum omnia hactenus obtinuerint.

Manifestum verò proinde hoc etiam est: iniquissimum facinus esse, illius invalidi, & non nisi solâ Reipublicæ Germanicæ liberâ permissione hactenus nonnihil fortè obligantis, juris obtentu, quod nimirum illud non sit in pangendâ pace strictè observatum, ipsa Pacis pacta, summâ necessitate & utilitate Imperii expressa, irrita declarare.

Id qvod Secundo loco ostensuros nos promiseramus.

CAPUT X.

Iniquissime Innocentium asserere, quod Septemviratus Electoralis à Sede Romana sit institutus, nec ab Imperio numerus Electorum jure possit augeri.

PErgimus nunc denique ad TERTIUM: quod prioribus duobus momenti adhuc est majoris.

Et verò ipsa fundamenta Imperii reipublicæ concutit: quippe quæ reapse non ampliùs est libera respublica, sed subjecta Pontifici, sine qvidem potest aliquid libere constituere ex usu suo, de ratione eligendi summum suum magistratum, sed illud quoq; totum suspensum est ab arbitrio externi Principis: cujusmodi utique vult Papa existimari.

Constat autem TERTIUM illud duabus partibus. Dicitur videlicet in Bulla: *numerum septem Electorum Imperii olim Apostolica auctoritate PRÆFINITUM esse*; ideoq; *sine suo & Sedis præfatæ beneplacito augeri* non debuisse.

Principio autem observandum est etiam atq; etiam: numquam antehac quenquam Paparum ausum fuisse talia, publice qvidem, profiteri. Unde seqvitur, Innocentianum hoc ausum omni exemplo carere, & superare suâ inquitate cunctorum præcedentirum Pontificum iniquissima attentata.

Enim

Enimverò non tantum in vasto Pontificii Juris Corpore, inter infinitas Papales constitutiones, sed & in magno Bullario, nulla reperitur, *quâ numerus septem Electorum sit præfinitus.*

Qvoniam hoc autem vero est verius, simul *Secundo* liquet, Innocentii illud assertum non esse veritati consentaneum, sed inique confictum. Nec enim fieri potest, ut tanti momenti Papalem Constitutionem planè perire passa fuisset, rerum suarum, si qvæ alia, satagens Curia. Ut proinde liceat tutò sic colligere: constitutio ejusmodi Papalis nulla hodie reperitur: ergo nunquam facta est.

Tertio ejusmodi *præfinitionis* ne mentio quidem fit in universo Juris Pontificii Corpore aliisqve Paparum bullis, etiam illis qvæ tangunt Electionis negotium. Qvod silentium certissimo est argumento, falsò *præfinitionem* istam ab Innocentio esse jactitatam.

Quartò in ipso famoso illo *capit. Venerabilem de elect. & electi pot.* diserte Papa ipse Innocentius tertius, illos Principes habere *potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscit, ad quos de jure & anqua consuetudine noscitur pertinere.* Quæ utiqve verba liqvidò ostendunt, saltim tuuc temporis *præfinitionem* illam Sedis Apostolicæ, qvæ nunc jacti-

jactitatur, fuisse ignotam: Contra verò, alii cuidam *juri & consuetudini* potestatem Principum, qvæ circa electionem versatur, ab ipsomet illo Pontifice fuisse latam acceptam. Accedit, quod tunc temporis jus eligendi nondum fuerit restrictum ad Septem Officiales Imperii, sed ipse ille Papa Innocentius tertius admiserit ceu legitimam Ottonis qvarti Imperatoris primam qvoq; electionem, eamqve hoc ipso capitulo *Venerabilem* propugnaverit, contra eos, qui partes Philippi sequebantur; quæ tamen electio non fuerat instituta per Septem Officiales, sed eorum duntaxat unum, Colonien-sem videlicet, & præter hunc nonnulos alios non Principalis tantùm dignitatis, sed etiam Abbates imò & Comitem Cuikensem. Liquet hoc ipsum ex epistola scripta ad Innocentium illum tertium Papam, qvam Baronius integram edidit subscriptis eligentium nominibus. Fuerat verò nec Philippus à Septem Officialibus aut omnibus aut solis electus: non tamen hoc obtentu illius electio, quasi vitio facta, ab hoste Philippi Innocentio illo Papa fuit oppugnata. Saltim itaq; hoc jam manifestum est, ipsum Papam fuisse fassum, qvod ante Innocentii illius tertii ætatem *numerus septem eligentium Principum à Sede Apostolica non fuerit præfinitus*. Imo qvoniam hoc capitulum *Venera-*

bi-

bilem est receptum auctoritate Paparum sequentium omnium in numerum Decretalium, manifestum qvoqve est, eo ipso confessionem illam Innocentii III merito existimandam esse, ab omnibus successoribus illius tertii Innocentij fuisse approbatum & confirmatam, ac proinde tanqvam omnium communem haberi oportere. Paulò post autem demonstrabimus, ne quidem à successorum quopiam *præfinitionem* illam esse factam. Unde liquet, tuto posse etiam hoc asseri: qvod propriâ Paparum confessione Bullæ nuperæ Innocentii X assertio isthæc sit pridem eversa.

Qvinto. In eodem Capitulo *Venerabilem* reperitur & alia haud obscura Innocentii tertii confessio, qvod saltim ad illud usq; tempus Sedes Romana non contulerit Principibus Jmperii jus aliud eligendi Regem Romanorum, qvàm qvod Caroli Magni ætate fuit datum, Non fuit autem tunc *præfinitus ille numerus septem eligentium Principum*, sed aliqvot demum post seculis imò post Innocentium tertium, ceu paulò infra probabitur. Hinc verò necessariò sequitur, qvod propria Papæ illius confessione, & saltim tunc, nondum fuerit facta à Romana Sede illa quæ nunc jactatur *præfinitio*. Ut res omnis liquidò cunctis pateat, producemus hoc loco integra Capituli *Venerabilem* verba quæ ad hoc nostrum negotium pertinent. *Illis Prin-*

cipibus, inquit Papa, *jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere. Præsertim cum ad eos potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit, qua Romanum Imperium in persona magnifici Caroli à Græcis transiulit ad Germanos.* His sanè verbis clare ipsemet ille Innocentius professus est id qvod diximus, Nempe, quando Papa transtulit olim Imperium ad Germanos in persona Caroli Magni, dedisse simul illum Principibus Germaniæ Imperatores eligendi potestatem. Jam verò tunc qvidem temporis non esse institutum Septemviratum Electoralem, constat inter omnes paulò intelligentiores. Qvoniam scilicet omnia vetera & fide digna monumenta nihil tale vel verbulo memorant; & historiæ omnes docent, nullam ad seculi usque decimi tertii annum qvadragesimum sextum à septem Principibus factam fuisse electionem. Haud Me fugit, Jordanum in *chronico* suo initium Septemviratus in Caroli Magni ævum referre: & posse videri huc inclinasse qvoqve Irenicum *Exeges. Germ. l. 1. c. 24.* Sed uterqve scriptor perqvam recens est, ac proinde vel hoc nomine testis in idoneus. Iordanus qvoqve seductus fuit non nisi verbis Innocentii modo allatis & summa veterum rerum imperitia, qvasi nempe jam à Caroli Magni

Magni ævo obtinuerit, per electionem facta Imperatorum constitutio, & qvidem talis qvalis suo obtinebat ævo. Irenicus porrò passim alia docuit, atqve adeo illi sententiæ non animo constanti adhæsit.

Observandum autem & hoc venit, etiam Innocentii III ist hæc à vero multúm abludere. Etenim translationē Imperatoriæ dignitatis ad Germanum aliquem Principem factam esse primúm, qvando illam dignitatem consecutus est Carolus Magnus, verum qvidem est: Sed, hoc ipso, sive *in persona Caroli Magri*, ad Germanos, inqvantum qvidem illi sunt distincti à Francis occidentalibus aliisqve Germanicæ prosapiæ gentibus, perveniſſe illam dignitatem, falsissimum est. Et verò multis probavimus jampridem *libro de Germanorum Imperio Romano*, factum illud demum in *persona Ottonis Magni*, pacto æterno inito, ut nempe fiat illud qvod canit Guntherus *l. 1. Ligur.*

quemcunq; sibi Germania Regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rhenus.

Falsum qvoqve est. *ab Apostolica sede* factam esse vel illam in Carolum vel alteram in Ottonem Magnum translationem, quia potissimúm illa est institula jure competente populo Vrbis Romæ.

Qvod itidem eodem libro est à me demonstrantum. Falsum deniqve etiam illud est : Papam dedisse tunc facultatem eligendi Imperatores Principibus Germanis : qvia & Carolo Magno pariter & Ottoni successum est in dignitate Imperatoria non per arbitrariam Principum electionem, sed qvàm maximè jure hæreditario. Et verò merè arbitraria illa eligendi ratio instituta demum est, anno post millesimum septuagesimo septimo in Conventu Procerum Imperii rebellium Forchemensi, instinctu qvidem Gregorii septimi Papæ, auctoritate tamen eorum qvi tum convenerant Principum. Qvod docui latius *in Annotatis ad Lampadium parte III.,Cap. 2. parag. 4.*

Qvicqvid verò hujus sit, id abunde jam liquet, Innocentium III Papam suo *capit. Venerabilem* bis agnovisse, qvod saltim tunc temporis à Sede Apostolica nondum fuerit *præfinitus* numerus *septem Principum* eligentium.

Agnovisse idem & Innocentii illius successorem, *Honorium III Papam*, imo & Gregorium IX & Innocentium IV, facile probatu est : adeoq; SEXTI argumenti loco potest nobis merito esse etiam illorum confessio. Et verò Honorio illo III satagente & curante contra Ottonem IV tum constitutus Imperator fuit Frridericus secundus: & tamen non per septem Officiales ; sed initiò multorum, deniqve

qve anno 218 Communi Principum consensu in publicis Comitiis Hervordiæ institutis, & cœpta primum & tandem corroborata fuit isthæc electio. Cùm vero illam electionem Honorius approbaverit, liqvet, illum qvoqve agnovisse, qvod ab Apostolica Sede Eligentium numerus saltim tunc nondum fuerit *præfinitus* ad septenarium. Porro Gregorius IX atqve Innocentius IV acerrime Fridericum illum secundum id nominis Imperatorem sunt persecuti, & tamen neuter illorum Friderico objecit, qvasi ille fuisset vitio creatus: non præteriturus silentio hoc ipsum, ut erant utiqve hostes Friderici iniqvissimi, si de Septemviratu Electorali aliqvam fuisse jam factam Papalem constitutionem existimassent. De Gregorio idem manifestum est etiam ex eo, qvod annotavit auctor *Historiæ Archiepiscopor. Bremensium pag. 111 editionis Lindenbrogianæ*, & totidem verbis Albertus Abbas Stadensis de Gregorio IX, isthoc ipso ævo, ad annum *1240. Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens Principes super electione alterius sollicitavit. Sed nihil profecit, quia quidam ei rescripserunt, non esse sui juris Imperatorem substituere, sed tantum electum à Principibus coronare. Electio enim ad istos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus, &c.*

nus, &c. Hîc ſanè perhibetur, Papam Gregorium non Septem viros, ſed alios qvoqve Principes de novo eligendo Imperatore ſollicitaſſe; tunc temporis autem Principum omnium conſenſu univerſam eligendi facultatem ad Septem Officiales jam fuiſſe translatam, ideoqve Papæ ſollicitationem fuiſſe à Principibus aliis denegatam. Unde diſcere eſt: non id duntaxat, Papæ illi Gregorio fuiſſe creditum, qvod jus eligendi non ad ſeptem Principes pertineat ex aliqva inſtitutione Apoſtolicæ ſedis; ſed etiam, illud cœpiſſe ex aliqvo conſenſu Principum omnium Germaniæ.

SEPTIMO. Nemo eorum qui ipſa arcaniſſima penetralia Tabularii Papalis ſummâ induſtriâ penetraverunt, ſimulqve omnia aliorum teſtium plurimorum monumenta expenderunt, non potuerunt, vel tempus certum, vel certum Papam definire, à qvo & qvando illa fuerit facta Septemviralis Electorum Principum Collegii conſtitutio. Etiam hoc autem minimè fallax eſt indicium, nunqvam tale qvid fuiſſe factum; qvia nimirum ἀδύνατον eſt, tantæ rei omnem qvoqve memoriam perire potuiſſe ſi fuiſſet facta.

Enim vero ſeculo jam decimotertio declinante Romæ fingi cœpit, ab Ottonis usqve III Imperatoris ævo Septemviralem electionem fuiſſe In uſum receptam; initiò tamen illa Papali inſtitutioni non

ni non fuit adscripta. Liqvet illud ipsum ex Martini Poloni Chronico, qvem constat Innocentii qvarti papæ fuisse Pœnitentiarium, & perduxisse historiam suam ad annum usq? 1285. Ejus verba hæc sunt: *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum. ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur. Qui sunt septem: videlicet primi tres Cancellarii isti? Moguntinensis Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Colonienſis italiæ Cancellarius: Marchio Brandenburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemus Pincernam agit.* Illud *Postea* autem ad ævum proximè subseqvens Ottones spectare, evidens est: ut Baroniana acceptio de ævo ipsiusmet Martini, nimis ab omni versimilitudine remota. Evidentissimum sanè est citra omnem controversiam, à Martino illo institutionem Septemviralis electionis non esse cuiqvam Paparum adscriptam. Unde consequens est; ne in ipsa qvidem Romana Curia (ubi natum est Chronicon illud) jam tunc fuisse creditum, qvod à Romona Sede numerus ille septenarius Electorum haud fuerit *præfinitus*. Nec vero Martinus hoc silentio præteriisset; sic fuisset persvasum. Qvum usque adeo fidelis fuerit narrator omnium Romæ tunc creditarum fabularum, ut nec illud Joannis Papissæ commentum dissimulaverit, qvia illud

lud Romæ tunc vulgò crederetur. Quamvis enim in codicibus non nullis Martini hæc fabula desit, quia reperitur tamen in plærisque, haud dubiè subducta est cautiorum quorundam, honori Sedis Romanæ tunc studentium, manibus.

Liqvet idem porrò ex Cardinalis Hostiensis *Commentario ad cap. Venerabilem* qui itidem tum vivit Romæ ad annum usque octogesimum primum. Memorat enim ille quidem septem Electores illos, qui tunc & postea functi fuerunt hoc officio, Papalis autem constitutionis ne quidem ullo meminit verbulo: etsi dignitati Sedis addictissimus. Imò liquet illud ipsum ex verbis ipsiusmet Innocentii quarti Papæ, quæ habentur *in cap. ad Apostol. extr. de sent. & re jud.* quæ ita sonant: *Illi ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant libere successorem.*

Cœterum jam seculi decimi quarti initio, fateor, Gregorii V instituto cœpit Romæ & apud Italos ad scribi septemviratus Electoralis. Tunc sane factum id est ab auctore operis de *Regimine Principum*, quod Thomæ Aquinati perperam vulgo adscribi recte monuit Bellarminus *l. de scriptoribus Eccles.* ubi agit de Thoma; & verò potius est Thomæ illius qui aliis Anglicus cognominatur, ut alter Angelicus. *l.* nempe *3 cap. 19.* & Augustino Triumpho *l. de potestate Eccles. q. 31. art 2.* Ex eo autem

autem hæc ſententia facta fuit tantùm non communis ; aliis tamen Ottoni Imperatori aut æqve multum, aut plus etiam quam Papæ iſti Gregorio V, ferentibus acceptum. Falſiſſimum tamen eſt illud omne. Idqve ſuperiore jam ſeculo præclare oſtenſum primò à Joanne Aventino, deinde ſingulari libro *de Comitiis Imperatoriis* inſcripto, à viro omnis ævi rerum citra controverſiam peritiſſimo, ſimulqve Papalis honoris perqvam ſtudioſo, & cive Romano Onuphrio Panvinio.

Et vero hic qvidem usqve adeo firmis uſus fuit argumentis, ut ipſe magnus Annalium Eccleſiaſticorum conditor Cardinalis Baronius, manus dederit : Bellarminus verò, altera Pontificiæ dignitatis columna, *l. 3. c. 2. de Translatione Imperii*, coactus fuerit ſaltem hoc fateri, numerum ſeptenarium Eligentium poſt ducentos & amplius annos ab ætate Gregorii V fuiſſe uſu deniq; receptum. Sed &, quamvis qvoqve ibi docuiſſet, à Gregorio V eſſe Septemviratum Electoralem inſtitutum, in libro tamen *Recognitionis ſuorum librorum* hoc etiam retractaverit ſic ſatis ingenue & aperte. Non dubitaverunt tamen Onuphrianis illis ſeſe opponere, peculiari qvadam diſſertatione Nicolaus Ciſnerus, & integris libris Simon Schardius & præ aliis magno ſtudio Chriſtophorus Gewoldus libro cui fecit titulum : *Sacri Romani Imperii Septemvi-*

ratus. Verum etiam hisce omnibus docte adeo & firmiter sese objecit Bernhardus à Mallincroth, veluti genere ita & dignitate Canonicali longe nobilissimus pariter & doctissimus scriptor, in libro *de Archicancellariis S. Rom. Imperii cap. 3.* ut profecto nihil sit causſæ quare â me quidqvam hîc adjiciatur. Et vero etsi idem etiam alii egerint, sufficit tamen hunc unum consuluisse; præsertim quia ille fuerit Romanæ communionis pariter & Pontificum perqvam studiosus. Ut hoc qvidem liceat securè profiterì: Gregorium V non fuisse auctorem Septemviralis collegii.

Verumtamen in Gregorii illius V locum substituit Onuphrius Gregorium X Papam. Ast fassus est, nonnisi conjicere sese hoc ipsum: & nullo utitur teste. Itaqve vel hinc liqvet, etiam hoc inane esse. Oppugnavit qvoqve hoc Onuphrii commentum & Baronius pariter & Bellarminus. Rectè uterque: quandoquidem jam ante Gregorium diserta facta est mentio Septemviralis collegii à non uno: qvales utiqve sunt Cardinalis Hostiensis, Albertus Stadensis, Autor Speculi Juris Saxonici; nè quid dicam de Martino Polono, quia id possit videri dubium. Addo illud, quod ante Gregorii illius decimi Pontificatum à Septemvirali collegio fuerint electi Imperatores Henricus Thuringus, Wilhelmus Hollandus, Richardus Anglus & Alphonsus Arragonius.

us. Itaqve itidem certissimum est, nec Gregorio X institutum illud Septemvirale deberi.

Aliam novam & antea nunqvam auditam sententiam proposuit primus omnium Cardinalis Baronius *Tomo X Annalium, in historia anni 996.* Nempe Septemvirarum Electoralem esse introductum ab Innocentio IV Papa, & quidem in Concilio Lugdunensi. Superstruxit autem illam opinionem suam verbis nonnullis, quæ habentur in historia Matthæi Parisii sive Paridis, ubi ille agit de Concilio isthoc, editionis Tigurinæ. Illa ita sese habent: *Magnates Alemanniæ non tamen Electores Imperatorum: Rex Bohemiæ, Dux Lotharingiæ, Dux Brunesvikiæ, Dux Suaviæ, Landgravius Thuringiæ, Dux Lauenburgiæ, Dux Carenthoniæ, Dux Saxoniæ, Comes de Gelria. Electores Imperatorum Laici: Dux Austriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ qui & Lovaniæ. Prælati Principales, Archiepiscopus Colonienſis, Archiepiscopus Moguntinus, Salisburgenſis. Isti ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in eâ, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris; nec adveniet aliquis ad eos, donec omnes sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Colonienſis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgenſis. His à Domino Papa directa est diligentissima admonitio,*

cum supplicatione, ut sibi alium Imperatorem eligerent; promisitque eis sui & totius Ecclesiæ consilium & auxilium, & principiò sub spe potioris successus, quindecim millia librarum argenti. Prævenit autem & prævaluit Friderici dissuasio, qui eis, & maxime Duci Austriæ, vinculo affinitatis est confœderatus. Vnde monitis aut precibus Papalibus Electores minimè paruerunt. Hæc sunt illa verba, ex qvibus non dubitavit Baronius suam sententiam exsculpere. Verum enimverò *principiò* vel sola illa novitas sententiæ istius merito saltem suspectam illam reddere idonea est. Nec verò ante Baronium qvisqvam vel ipsorummet Romanorum Curialium illud asseruit. *Secundò*, in omnibus adductis verbis de illo Innocentii instituto ne verbulum qvidem reperire est. Tantùm innuitur ibi, ab Innocentio IV ex Concilio Lugdunensi ad VII Electores missas esse literas de Henrico Landgravio eligendo. Qvid? quod ipsa illa, quibus Baronius adeo multum fidit, ab indocta aliqva manu in Chronicon Matthæi esse intrusa, facile vel ex illo appareat, quod nihil non eorum à veritate & monumentis illius ævi Innocentiani, imo & antecedentis & subseqventis, non sit alieniſſimum, quodqve universa istæc nec cum antecedentibus nec cum conseqventibus cohæreant? Sed & is, qui non pridem Matthæi editionem Parisiensem magna indu-

induſtriâ curavit, inter variantes lectiones annotat, totum illud de Electoribus in mſſ. codicibus margini adſcriptum, & ab ipſa Paridis hiſtoria diverſum eſſe. Adhoc Paridem ipſum non adeo ineptiiſſe circa Electores, ceu fecit ille ſcriptor, diſcere etiam eſt ex iis qvæ ad annum 1257 *pag.633 Pariſienſis editionis* diſſeruntur.

Reapſe igitur nullo teſtimonio nititur Baroniana Iſthæc aſſertio. Ejus falſitatem porro alia qvammulta produnt. *Primum* enim illius ævi inſtitutorum Papalium, qvæ qvidem ſunt alicujus momenti, nihil non Decretalibus inſertum eſt: hujus vero nullum ſit indicium in omnibus Decretalium libris. *Ad hoc* rei tam illuſtris ac novæ memoria ſtatim utiqve pervaſiſſet ſaltim Curiam Romanam. At vero qvi ipſo illo ſeculo fuere Curiæ addicti ſcriptores, inſtitutionem collegii Electoralis in tempora Ottonis III, aut certe ab iis non multùm remota, referunt. Ceu Martinum Polonum ipſius Innocentii IV Pœnitentiarium feciſſe, jam audivimus: alii initio ſeculi qvartidecimi diſerte Gregorio V attribuerunt: qvod fecit Auctor librorum *de Regimine Principum* & Auguſtinus Triumphus Anconitanus, qvod jam tum diximus. Nemo ſane ejus ævi Curialium innocentium auctorem tantæ rei laudavit. Qvî potuiſſet porrò Hoſtienſis, qvi ipſa illa Innocentii ætate vixit, hiſce verbis uti? *Septimus eſt Dux Bohemiæ*

qui modo est rex. Sed iste secundum quosdam non est necessarius, nisi quando alii discordant; nec jus istud habuit AB ANTIQVO, *sed de facto hodie tenet.* Qvî potuit (inquam) ita loqvi, si recentissimi Innocentiani instituti memoria in Curia fuisset? Quid, quod ipsemet Innocentius IV in epistola quadam de electione Guilielmi Hollandi, quam recitat Joannes Beka in Chronico Episcopor. Ultrajectinorum, agens de rebus Ottonis Episcopi tricesimi sexti, sic loquatur? *Wilhelmus Comes Hollandiæ communi voto Principium, qui in electione jus habere noscuntur, in Romanum Regem cæteris Principibus applaudentibus, est electus.* Num verosimile est, ita locuturum fuisse Innocentium, si ex suo nuperrimo instituto Septemviris data fuisset eligendi potestas? Alia ejusdem notæ Innocentiana verba paulò ante attulimus. Hæc sane talia sunt, ut fidem detrahant etiam illi narrationi, quam hactenus reperi in unico Engelhusii Chronico quod penes me est manuscriptum. Ita autem ille de Innocentio isthoc Qvarto: *Ipse contra Fridericum Imperatorem ordinavit eligi Henricum* VII, *& eo mortuo Wilhelmum: & ut sic fieret, Alemannis confirmavit in perpetuum auctoritatem eligendi Imperatorem in Concilio Lugdunensi.* Nec verò temere probaveris, ejusmodi aliquam *confirmationem* fuisse factam in Concilio Lugdunensi. Nisi non de sole-

ſolemni *Confirmatione* ſed tacita Engelhuſius ſit locutus. Sed & Engelhuſius ille recens eſt ſcriptor, & exigui judicii: cui fidere non licet de iis quæ in Concilio illo Lugdunenſi ſunt acta, quando alij fide digni tacent: ut ſane heic tacent.

Porro jam ante Innocentii IV tempora obtinuit utique Septemviratus Electoralis. Memorat ſane illum Auctor *Speculi Juris Saxonici*: quod opus confectum ante annum 1235, libro *de Origine Juris Germanici* demonſtravimus. Memorat illum & Albertus Stadenſis Abbas in Chronico ad annum 1240: ſcriptor itidem σύγχρονος. Quod ſolum abunde oſtendit Baronianæ ſententiæ falſitatem.

COETERUM priùs quam abeamus à Septimo noſtro argumento, videtur fore pretium operæ, audire etiam Cardinalem Baronium; utpote qui in *Recognitione liberorum* ſuorum ſuâ relictâ ſeceſſit in ſententiam hanc Baronianam. Ejus verba *in Recognitione opuſculi de Translatione Imperii* hæc ſunt. *Lib. 3. cap. 2. dixi, Electores Imperii conſtitutos fuiſſe à Gregorio V. Sed Decretum ejus Pontificis fuiſſe quidem continuo exequutioni mandatum, quatenus conſtituebat, ut Rex eligeretur à Principibus Imperii, ſed non fuiſſe niſi poſt ducentos annos & amplius uſu receptum, quo ad reſtrictionem ad numerum ſeptenarium. Sed poſtea Cardinalis Baronius, cui multum omnino Eccleſia debet ob immenſos*

mensos labores, quos pertulit toto fere vitæ suæ tempore, in historia Ecclesiastica undique colligenda & literis commendanda, invenit librum cujusdam Matthæi Parisiensis Monachi S. Albani in Anglia, qui Anglicanam historiam scripsit ab anno Domini M LXVI usque ad annum M CC L: atque ex eo auctore haberi scripsit, ab Innocentio IV in Concilio Lugdunensi Generali, quod celebratum est anno Domini M CC XLV restrictum fuisse numerum Electorum Imperialium ad septem; videlicet, ad Ducem Austriæ, Ducem Bavariæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brabantiæ, Archiepiscopum Coloniensem, Archiepiscopum Moguntinum & Archiepiscopum Salsburgensem. Sed videtur omnino vel in eodem Concilio, vel paulò pòst in locum Salsburgensis substitutus fuisse Archiepiscopus Trevirensis, & in locum Ducum Austriæ, Bavariæ & Brabantiæ, substituti Rex Bohemiæ, Marchio Brandenburgensis, & Comes Palatinus Rheni: hos enim septem nominat Martinus Polonus, qui fuit Pœnitentiarius ejusdem Innocentii IV Pontificis, S. Thomas, Augustinus Triumphus, & Henricus Ostiensis, qui eodem ferè tempore floruerunt, & omnes alii posteriores. Et quamvis nemo historicus tradat, quis auctor fuerit, ut illa mutatio & substitutio fieret: tamen certum omnino haberi debet, factum esse vel ab eodem Innocentio, vel ab aliquo ejus

ejus ſucceſſore. Non enim Decretum ſummi Pontificis Innocentii in Concilio generali factum, ullus Pontifice maximo inferior mutare auſus fuiſſet, vel jure potuiſſet. Hæc omnia Cardinalis Bellarminus. Obſervandum verò etiam atque etiam, illum probaſſe quidem Baronianum commentum, non diſſimulare tamen potuiſſe nonnulla quæ dubiam reddere narrationem illam apta ſint, quæque proinde indigeant forti remedio. Non convenit nempe hæc narratio iis, quæ vel illo ipſo Innocentii tempore alii fide digniſſimi (quos inter tamen non debuit numerari Thomas Angelicus & Auguſtinus Triumphus) perhibuerunt de iis qui Septemvirali dignitate jam tunc temporis fuerint uſi. Rectè verò cenſuit Bellarminus, ad alios illos non potuiſſe transferri iſtam dignitatem niſi itidem ab aliquo Pontifice: poſito nempe, quod in Concilio generali innocentius quartus iis qui in Paridis hiſtoria memorantur, Archiepiſcopo Salisburg. nimirum Duci Auſtriæ Duci Bavariæ & Duci Brabantiæ, contulerit dignitatē Electoralem. Cæterùm factam ejusmodi aliquam mutationem à quoquam Pontificum, fatetur Bellarminus, *neminem hiſtoricum tradere*: rectiùs dicturus, ejusmodi mutationem à quoquam mortalium factam, neminem tradere. Nihilominus ſcribere auſus fuit Bellarminus: *Videtur omnino, vel in eodem Concilio vel paulò poſt,*

ſubſtitutos alios. Item: *Certum omnino haberi debet, factum eſſe vel ab eodem Innocentio, vel ab aliquo ejus ſucceſſore*: qvamvis videlicet ipſe agnoviſſet à nemine hiſtorico hoc tradi. At verò hoc qvidem certiſſimum potius debuiſſet haberi argumentum, omne illud qvod legitur in Paridis hiſtoria de Electoribus, Duce Auſtriæ Bavariæ & Brabantiæ ut & Archiepiſcopo Salisburgenſi, eſſe imperitiſſimi hominis vanas fabulas; ac proinde totam illam Paridis narrationem nullam fidem mereri. Qvod ſanè Bellarminum non puduit, rem tanti momenti ſtatuminare ſolis conjecturis, easqve ſine ullo teſtimonio *omnino certas* venditare, indignum profecto eſt homine veritatem ſeriò qværente. Perſpicere vero hinc ſimul eſt, non niſi confictis fabulis, Baronianam qvidem illam de Innocentio qvarto, qvaſi illo auctore Septemviratus ſit inſtitutus, ſententiam poſſe vel aliqvo modo fucari: omne autem ejus figmentis niti. Qvod ſolet eſſe deſperatæ cauſſæ certiſſimum indicium.

Obiter hoc qvoqve dignum obſervatu eſt; perperam docere Bellarminum, qvod inſtituerit Gregorius V, uti electione duntaxat Principum deinceps Imperatores conſtituantur, idqve fuiſſe uſu receptum. Etenim, ceu jam tum monuimus, Henricus III Conrado Patri, & ipſi Henrico tertio cognominis filius Henricus qvartus hereditario potiſſi-

tissimum jure successit, & anno demum septuagesimo septimo post millesimum in Comitiis Forchemiensibus successo hereditaria fuit abrogata. Diserte nimirum Bruno, scriptor coævus belli qvod Saxones gesserunt contra Henricum IV Imperatorem: *Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Romani Pontificis auctoritate est corroboratum, ut Regia potestas nulli per hæreditatem, SICUT ANTE FUIT CONSUETUDO, cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus, per ELECTIONEM SPONTANEAM, non per successionis lineam Rex proveniret.* Sed hoc obiter.

SOLE autem cum jam tùm clarius sit, etiam Baronianum commentum plane esse nihili & futile, non est cur illi confutando ulterius immoremur. Et vero ipsi quoque Christophoro Gewoldo fuit improbatum (utpote qui maluerit Gregorio qvinto Septemvirale institutum attribuere, prout est ista sententia, me quoq; judice, longe alterâ Baronianâ verisimilior) imo & confutatum ab ipso màgni nominis Jesuita Jacobo Gretzero in *Defensione* librorum Bellarmini de Translatione Imperii: qvi *l. 2. contrà Replicatorem cap. 22. pag. 296.* non dubitavit aperte profiteri, *sententiam illam neq; cum veritate neque cum mente Matthæi congruere.*

At verò hactenus nulli Paparum â quoquam, Curiæ Romanæ quamvis addictissimo, quàm uni

illorum quos diximus, institutum illud Septemvirali est attributum: ac proinde nec id factum fuit ab Innocentio X Papa in sua Bulla. Itaque manifestum est, non Papam illum minùs quam alios fuisse deceptum, nostrum vero *Septimum argumentum* esse longe firmissimum.

Pro *OCTAVO Argumento* summo jure haberi potest, quod neque Imperatorum neque Principum Germaniæ ullus Septemvirale illud institutum tulerit acceptum Romanæ Sedi. Fuere scilicet illi devoti admodum, (ne dicam magis quam oportebat) illius Sedis cultores, nec potuit illis ignorum esse id quod de Gregorio V historicorum aliorumque scriptorum nonnulli tradiderunt, caverunt sibi tamen ab ejusmodi assertione. Et verò passi quidem corum aliqui sunt auctoritate *Capituli Venerabilem*, ut & verbis quibusdam *Clementina Romani de jurejurando* sibi persuaderi, facultatem eligendi Imperatorem ad Germanos merâ beneficentiâ Romanæ Sedis perveniſſe, atque adeo illam etiamnum unice ab illius nutu esse suspensam: ipsum tamen illum Septenarium numerum Electorum, à Sede illa sive institutum sive *præfinitum* esse, nunquam affirmaverunt. Non est necessum, ut per singula veteris ævi monumenta eamus: una sufficit Aurea Bulla Caroli IV ti Imperatoris; qui suo humili ac devoto Romanæ Sedis cultu, meruit à

Pon-

Pontificibus sui ævi non minùs diligi & æstimari, quàm Ludovicus IV, Bavaricæ familiæ æternum decus, ab iis odio fuit habitus & diris execrationibus condemnatus. In illa sane Aurea Bulla, qvæ omnium veteris ævi constitutionum Imperialium etiamnum habetur maximè solemnis & sacra, condita in pleno Conventu omnium Imperii Ordinum, & quidem per partes, diverso tempore & loco, totaque est occupata circa Cæsaream electionem & Electores, nullo verbulo Septemvirale aut aliqvod circa illud jus adscribitur Romanæ Sedi. In nullâ aliâ Constitutione Imperiali itidem id factum esse, audeo intrepide adfirmare: certè hactenus nemo Romanæ Sedis ὑπεραστιστῶ ad illud vel provocavit. Itaque hoc quoque argumentum firmo stattato, ut ita loquar.

NONI denique argumenti, itidemq; longe robustissimi, vice potest & debet æstimari id, qvod Albertus Stadensis Abbas in Chronico suo notavit ad annum seculi decimi tertii qvadragesimum. Vixit ille isthoc ipso tempore; & fervebat tunc qvam maxime dissidiis circa electiones, omnibus ejus rebus per Pontifices turbatis, universa Germania; ipse verò initio quidem egerat Abbatem Stadensem, cum monachi autem nollent redigi sese in ordinem probitatis, vir piuspertæsus illius malitiæ, Franciscanorum sanctæ vitæ opinione præ

aliis tunc illustrium familiæ accessit. Itaque quod noluerit quidem posteritatem fictis narrationibus consultò decipere, non potest dubitari. Fuisse verò eundem intelligentem quoque rerum & industrium pariter observatorum, abunde demonstrat Chronicon. De cujus primæ editionis à Reinero Reineccio Academiæ hujus Juliæ magno lumine & ἱστορικοτάτῳ institutæ bona fide, ne quæ supersit dubitatio, provocamus ad codicem manuscriptum, unde expressa est editio, qui integer superat in Juliæ nostræ Bibliotheca. Is ergo Albertus, quum dixisset, Principes à Papa Gregorio nono sollicitatos fuisse de eligendo novo Imperatore contrà Fridericum secundum, atq; eorum *quosdam* Papæ respondisse, *non esse sui juris Imperatorem substituere, sed tantùm electum à Principibus* (Officialibus scilicet) *coronare*, subjungit: *Electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus, Colonienſis. Trevirensis enim licet de Alemannia non sit, ratione antiquitatis eligit; quia cum eadem civitas à filio Nini, quem Semiramis noverca ejus stuprum ab eo desiderans, à Babylone fugavit, sit constituta, Abraham Patriarcha trium annorum existente, etiam est à tempore Petri Apostoli in fide Catholica solidata. Palatinus eligit quia dapifer est, Dux Saxoniæ quia Marscalcus,*

lcus, & Marggravius de Brandenburg quia Camerarius, Rex Boëmiæ qui Pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est.

Hæc verba liqvidò sane ostendunt, deliberato consilio & consensu Principum Germaniæ omnium ad Septem Officiales jus eligendi perveniſſe.

Baronius enim quidem ita accipere illud *ex prætaxatione* voluit: *id est poscentibus Principibus simul consentientibus, vel ab Innocentio Quarto vel ejus successore Alexandro Quinto.* At *prætaxare* esse idem atqve *exposcere* aliquid ab alio, hoc profectò nunqvam est auditum. Contra verò notum est, Adami ætate istud *prætaxare* idem significasse, atq; prævio consilio aliquid constituere. Qvî porrò hoc Principes *vel ab Innocentio quarto vel ejus successore Alexandro* exposcere voluerint, cum *illa prætaxatio & consensus* iste fuerint jam anno qvadrageſimo instituta. Quod apertè satis significat Albertus, dum refert, Gregorium nonum repulsam tuliſſe à *quibusdam sollicitatis Principibus*, ideo quod jam tunc penes illos non staret eligendi arbitrium, ad solos Septem Officiales jure isthoc omni translato, consensu reliquorum omnium.

Goldastus etiam porrò *Replicæ pro Imperio c. 38.* ita qvidem interpretatus est verba isthæc Alberti, ita quidem interpretatus est verba isthæc Alberti, qvasi hoc voluerit: ad singulas electiones reqviri prætaxationem & consensum reliqvorum Principum

pum. At vero ne hæc quidem interpretatio admitti potest: *primum* quia hoc sensu accepta verba nihil facerent ad rem qua de egerat Albertus, nempe ad responsum Principum redditum Gregorio Papæ; ad quæ tamen referri debere indicat vocula causalis *enim*. Falsissimum *porrò* est, reliquos illos Principe extra Septemviros *prætaxare* atque *consentire* solitos ante electionem à Septemviris institutam. Ex Seculo sane Saxonici Juris, quod laudat Goldastus, hoc non liquet, sed potius oportere reliquos Principes factam à Septemviris electionem collaudare.

Omnino igitur verborum Alberti is quem diximus sensus est: quod Habito consilio Principes censenserint, ut imposterum jus eligendi sit penes solos Septemviros, jure suo pristino eligendi remisso, & è medio planè sublato.

Non est autem quare quis dubitet, rem ita sese habere perinde atquè narravit Albertus ille. Enimvero Septemvirale illud collegium Officialium Imperii longe illustrissimum, esse demum Friderico I imperante constitutum, atque cum ante fuisset, si excipias Archicancellariatum Imperii Moguntinum, partim nullum partim vagum, illis Septem Principibus, quos etiam Albertus nominavit, stato quasi jure concessum, liquidissimum est ex iis quæ cùm à Mallinckrotio eruditissimo libro *de Archi-*

cancel-

cancellariis Imperii, tùm à me non semel sunt demonstrata.

Ex eo autem & pòst aliqvamdiu jus eligendi mansisse penes omnes Principes Germaniæ, non Onuphrius duntaxat probavit sed ipsimet qvoqve Cardinales, Bellarminus pariter ac Baronius, suo consensu approbaverunt. Hos fuisse isthac ætate numero plus quam quinquaginta, claret ex verbis Joannis Monachi, qvæ leguntur in *Chronico Magno Belgico*, quod Joannes Pistorius edidit, *pag. 100*, ubi agitur de Henrici Sexti consilio successionem Imperatoriam exelectitia reddendi hæreditariam. *Constitutioni huic*, ait, *profuturæ consentit Curia Romana & Principes LII, qui Imperatorem eligere consueverunt*. Inmeis ad Lampadium Annotatis *pag. 110.* ut & *pag. 292* monui, fateor, *scribendum videri VII.* Sed mutare sententiam me multa cogunt. Præterqvam enim quod olim illa numeri Romana nota haud fuerit in usu, atque adeo nec à Monacho quoque isto usurpata, alia testimonia obstant. Et vero in eodem Chronico legitur de Conventu Principum Ordinumque Imperii Francofurtensi: *Apud Francfordiam Curia celebris habita est quinquaginta Principum, à quibus omnibus, Philippo Rege occiso, Rex Otto, hujus nominis quartus, votiva concordia & unanimi inspiratione in Regem est declaratus, & in Regno feliciter*

sublimatus. De eodem Conventu Francofurtensi ita scribit Auctor Chronici Colonienſis editi typis anoo 1499: non vulgaris judicii homo: Do he nu up det erste angenomen was zu ein Keiser / so machde he ein Hof zu Franckfurt zerstund na Philippus doit. Dar quamen viel und süftich Fürsten und Hern / und sworen em alle als einem Römischen Könige. Eadem de causa itaque muto etiam illud qvod dixi in iisdem ad Lampadium Annotatis *pag.292*, voce *Palatinorum* apud Gervaſium Tilberienſem intelligendos ſolos *Septemviros*: ſed nunc Principes omnes cenſeo ſignificatos, prout hodie qvoq; in Polonis Waiwoda qvilibet Latine audit Princeps.

Etſi autem, inſtituto illo Septemvirali Officialium collegio, non erepta fuerit Principibus reliqvis priſtinum eligendi jus, haud dubie tamen ex eo ut in aliis Imperii negotiis ita qvoqve in electione Cæſarea eminentiorem aliquam dignitatem obtinuerunt, & facti ſunt ordine cunctorum primi. Ut omne tamen ſuum eligendi priſtinum jus ſolis illis reliqui Principes concederent, non profecto ullius mandato fieri potuit, in tanta eorum potentia. Neceſſum proinde eſt, factum id eſſe *prætaxatione & conſenſu*, hoc eſt prævia deliberatione & ſubſecuto libero conſenſu Principum reliqvorum. Qvod eſt illud ipſum quod affirmavit Albertus Stadenſis. Videntur autem Principes reliqui ad tale quid ultrò

trò concedendum moti, nunqvam satis laudando amore publicæ tranquillitatis, sæpius ante turbatæ propter multitudinem eligentium,& cumprimis ab initio statim usqve decimi tertii seculi enatis hinc dissidiis, iisqve recrudescentibus ab anno usqve vicesimo octavo, qvo Fridericus Secundus Imperator primâ vice à Gregorio nono Papa anathematis fulmine fuit percussus. Et verò ad Septemviros solos jam ante annum seculi illius qvadragesimum jus eligendi consensu reliqvorum Principum veniisse; liqvet ex responso Principum qvod Gregorio Papæ, novam electionem sollicitanti, eos dedisse refert Albertus. Cumqve Speculum Juris Saxonicum conditum esse circa annum tricesimum, probaverimus *libro de Origine Juris cap.30*, in illo autem diserte fiat Septemviralis Electorii juris mentio *l.3. art. 57:* haud obscurum amplius est etiam tempus illius *facti consensus*. Contigisse nempe Imperante Friderico II, inter annum seculi illius tricesimum & qvadragesimum. Haud dubie autem magis magisqve vim nactum est institutum illud, cum ipsi quoque Papæ, interq; eos Innocentius qvartus præcipue, animadverterent illam Eligentium paucitatem suis etiam rebus esse utilem.

Qvicqvid vero hujus quidem sit, certum est etiam ex iis qvæ nono loco adducta sunt, quod Se-

ptemviratus Electoralis non fuerit à Romana Sede, sed Imperatore & Imperii Principibus institutus.

COETERUM tot & tam firmis rationibus quidqvam adjungere superfluum fuerit: itaque tutò licet jam pronunciare; inique Innocentianam Bullam asseruisse, qvod *ab Apostolica sive Romana Sede Septenarius Electorum numerus fuerit præfinitus.* Sanè hoc qvidem usq; est adeo liqvidum, ut ipse Michael Lonigus, Sacro Vaticani Palatio & scripturarum monumentis digerendis tam in Archivis ipsius Vaticani qvam in Castro Sancti Angeli præfectus, in suo *Consilio Gregorio* XV *Pontifici exhibito, de adhortando Maximiliano Bavariæ Duce adpetendam dignitatis Electoralis nuper obtentæ confirmationem à Sede Apostolica,* paragrapho: *Quod cum diu,* diserte scripserit: *Tandem* propter evitanda schismata, *Antistites & Principes unanimes, assentiente Sede Apostolica, in eo* CONVENERUNT, *ut facultas omnis ad seipsos universos à Gregor. V devoluta, ad sex Principes tantùm devolveretur tres Ecclesiasticos, tres alterius rationis. quibus postea septimus additus fuit.* &c Addidit enim qvidem, factum illud *assentiente Sede Apostolica*, sed assensum illum, tanqvam necessarium reqvisitum, fuisse à Principibus postulatum, non potuit ullo vel minimo testimonio probare. Imò saltem initiò non accessisse illum assensum, ex eo manifestum est, qvoniam

niam Gregorius nonus anno quadrageſimo ſollicitavit etiam alios Principes ad novum Imperatorem eligendum, qvando jam tum inter omnes illos conveniſſet de Electorali jure ad ſolos Septem Officiales Imperii transferendo, etſi tunc nondum uſu ipſo eſſet receptum. Jam tum porrò ſeculo quarto decimo ſcripſerat rerum Imperii, pro temporis captu, perquam peritus, ſimulque jurium ejus ſtrenuus atque intrepidus defenſor, Leopoldus de Bebenburg pòſt Epiſcopus Bambergenſis *l. de Zelo veter. Principum Germaniæ cap. 7.* ipſi *Capitulo Venerabilem* palàm ſeſe objiciens: *Jus & poteſtatem eligendi Regem Romanorum ab Eccleſia Romana ad CERTOS PRINCIPES Germaniæ perveniſſe, nec in hiſtoriis ſeu Chronicis noſtris, geſta Regum ſeu Imperatorum continentibus, reperitur expreſſum.*

VERUM de *Prima parte* Innocentiani aſſerti plus ſatis. Eo ipſo autem ſimul jam everſa eſt *Pars Altera*, Fundamentum nempe ejus: *quod non licuerit Imperatori ac Principibus Octavum Electoratum inſtituerei*: eſt illud, *quod à Sede Apoſtolica numerus Septem Electorum fuerit præfinitus*. Hoc autem penitus à nobis eſt ſubrutum, ideoqve neceſſum eſt & Alterum illud, qvod ſuperſtructum eſt, ſponte ſua corruere. Meretur autem hac datâ occaſione falſitas & iniquitas illius Papalis accuſatio-

nis pariter & condemnationis ex eo etiam intelligere, qvod etsi hisce quadringentis annis de Electoralibus juribus aliisqve rebus complures fuerint exortæ controversiæ, nulla tamen earum in Romana Curia, sed omnes auctoritate Cæsarum & Ordinum Imperii fuerint & decisæ & sopitæ. Imò nulla earum Romæ fuit vel agitata. Unde & cùm Ericus Saxoniæ Dux Lauenburgicus, conqvestus esset Constantiensi Concilio, qvod Sigismundus Imperator sese præterito ad Fridericum Misniæ Marchionem Electoratum Saxonicum transtulisset: remissa fuit statim à Concilio illa qverela ad Imperatorem Sigismundum tanqvam competentem judicem. Sed & ipse Michaël Lonigus in *Consilio* suo, etsi rebus Pontificiis credat valde profuturum, si Maximilianus Bavariæ Dux persvaderetur confirmationem collatæ sibi Electoralis dignitatis à Pontifice petere; fatetur tamen, nunqvam tale qvid antehac contigisse. Qvæ omnia cum sint verissima, etiam vel hinc est manifestum: liberrimi fuisse juris Imperatoris reliquorumque Imperii Ordinum Octavam Electoralem dignitatem suâ propriâ auctoritate instituere, Innocentianam autem Bullam in omni hac caussa summam exercuisse iniqvitatem.

CAPUT

CAPUT XI.

Quis fructus ex Libri hujus lectione possit comparari: ad illumque comparandum seria invitatio. Quod item omnes Romana communionis, & salva conscientia possint, & jure debeant, Bullam Innocentianam non observare, breviter demonstratur.

HActenus sole meridiano, quod ajunt, clarius patefecimus, qvàm illa Paci publicæ opposita Innocentii Papæ Bulla, insolens, inutilis, publice privatimqve noxia, summe deniqve sit injusta. Nec verò qvidqvam addere, etsi haud pauca adhuc superfint animadversionem gravissimam merita, ullum est pretium operæ. Fuerit sane hoc velut soli facem accendere. Usque adeo certe Bullæ illius vitia in claram lucem producta sunt, ut confidam, illos etiam qvibus hactenus religio fuit Papales sententias qvasqve, fere non minus atqve divina oracula, venerari, si qvidem ab sese impetrare potuerint seriam libri & lectionem & expensionem, non amplius, Pontificiæ qvidem auctoritatis obtentu, pactis conventis, qvibus unice Pax pulbica nititur, adversaturos.

Rogo certè etiam atq; etiam illos omnes, ut sepositio saltim nonnihil partiũ studio, & semotis præjudiciis, qvæ disputata abs me sunt, libero & candido judicio

judicio examinent: vel ſolùm haud condemnent nõ lecta, aut non ſatis expenſa. Eam operam ſane ipſa rei gravitas expoſtulat. Nec verò parum refert, qvid de ipſius publicæ pacis æqvitate aut iniqvitate ſentias: præſertim ſi in illo ſis ordine Imperii Civium, qvibꝰ reipublicæ curatio commiſſa eſt: utpote qvos omnes prudentia inſtructos eſſe par ſit, ut exacte norint ſcilicet, quid in commune ſit utile qvid noxium. Expedit autem, & illos qvi non niſi mere ſunt ſubditi, bene de publicis actibus ſentire, ut eo promptius obſequio ſuo & ſibi gloriam & debitam felicitatem reipublicæ conſequantur.

Non me qvidem latet, eam eſſe præjudiciorum & animi affectuum in quammultis vim, ut etſi ſolem portes manibꝰ, nihil videant tamen: nec ego illis perſvadendis mea ſatis eſſe exiſtimo. Spero tamen, non defore & in iſto zelotarum grege, qvos ſaltim curioſitas invitaverit ad lectionem, qviqve proinde hac ratione inviſam hactenus veritatem ſint aſſequturi. Qvi ſanè jam tum non dubitarunt, ſpretis Proteſtationibus, ſpretis Papalibus Bullis, Pacis pacta voce & manu ſua qvaſi jurati approbare, imo in leges publicas Imperii recipere (qvo animo Cæſarem & Principes Ordinesqve omnes Imperii eſſe, æternopræconio omnis poſteritas memorabit) ſaltim hoc commodi ex lectione, (*ſi quis nempe hæc mea,*

mea si quis Captus amore legat,) consequetur, ut in sententia firmior sit imposterum, nec sese temere Romanis terriculamentis à serio Pacis studio seduci patiatur.

Quæ si fuerim conseqvutus, multum profecto mihi gratulabor; tanqvam nimirum compos factus mei voti. Ut cui nihil fuerit perinde propositum, atqve remotis iniqvis de Pace sententiis, ad civilem concordiam, unicum Imperii Palladium, animos componere. Utinam vero sperare liceat etiam illud: ut postqvam omnium oculi jam videant Bullæ hujus Innocentianæ vitia, tam illustri exemplo moniti, omnes imposterum, etiam aliàs, minus sint faciles in Curiæ & Pontificum qvibusvis decretis sine discrimine aut sine examine admittendis. Certe una hæc Bulla idonea est docere, numqvam non cauto opus esse; nec *spectandum, quid Romæ fiat sed quid fieri debuerit.*

Quantumvis autem defunctus jam sim instituto opere, priùs tamen qvam manum omnino hinc removeam, unum adhuc addere forte haud abs re fuerit, saltem ad conscientiam tranqvillandam eorum omnium, qvibus Romanus Pontifex est Vicedeus, cumprimis verò illorum qvi singulari sacramento Papæ sunt obstricti. Etenim in universum non semel in ipso Juris sui Canonici corpore

ſciverunt Pontifices, qvamvis injuſtis, imò impiis atqve in Gehennam deducentibus decretis obtemperandum, & obedire Pontifici ſimpliciter eſſe de neceſſitate ſalutis obtinendæ. Fuerit itaqve in univerſum omnibus Vicedeatus iſtius ſubditis, citra omnem exceptionem, Innocentianæ etiam huic Bullæ præſtandum obſeqvium. Singulari præterea jurejurando Papis obſtricti ſunt Cæſares, quod Papæ non dubitant appellare *juramentum homagii.* Etiam igitur ratione hujus juramenti Cæſares ad obſervationem hujus Bullæ, licet iniqvæ, fuerint obligati. Omnes præterea Canonici & Doctores multique alii ad Profeſſionem Fidei à Pio IV Papa propoſitam ſolent ſeſe obſtringere jurejurando. In illâ autem continentur hæc diſerta verba: *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, VERAM OBEDIENTIAM ſpondeo ac juro.* Hoc igitur etiam jusjurandum ſimpliciter citra omnem exceptionem exigit Innocentianæ Bullæ obedientiam. Omnes porrò Epiſcopi verè ligio ſunt vinculo Papis interventu jurejurandi obligati, ac proinde eo ipſo tenentur Innocentianam Bullam obſervare. Taceo nunc

nunc & Ordinum Eqveſtrium Magiſtros aliosque, qui itidem ſolent obſeqvium Papis jurare.

Verum enimverò ut omnis hujus quoque rei vera ratio conſtet, ponenda ſunt ante omnia duo qvaſi hypotheſium vice. *PRIMO* qvod nullum juramentum obliget ad præſtandum id qvod eſt impoſſibile effectu: *SECUNDO* qvod itidem nullum juramentum obliget ad exeqvendum illud, quod evidenter eſt iniqvum; qvoniam ſcilicet *Juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis*, & in univerſum *Deo magis eſt obtemperandum quàm hominibus.*

Hiſce hypotheſibus probè obſervatis, haud eſt difficile conſcientias omnium tranqvillare.

Etenim *univerſalia illa Pontificum decreta*, qvibus ſine diſcrimine omnibus etiam injuſtiſſimis & impiisſimis Pontificum mandatis parendum eſſe ſcitum eſt, qvod attinet, jam tum *Capite hujus libri primo* oſtendimus, nunqvam non illa fuiſſe uſu ipſo & optimorum maximeque intelligentium doctorum ſententiis improbata, imo damnata. Accedit, qvod jam tum ſecundæ hypotheſeos loco, tanqvam indubitatò verum, ſit poſitum atqve admiſſum: injuſta nulla, multo minus impia, Pontificum decreta qvenqvam in conſcientia, ut loqvimos eſt, obligare; omnino autem ejusmodi, qvamvis Pontificum, mandata reſpuenda, Dei autem

contrariis præceptis sanctissime obseqvendum esse. Jam verò liqvidissime ostendimus hoc ipso libro, Bullam Innocentianam multis modis noxiam & injustam esse. Saltem itaq; illa Decreta Pontificum non obligant qvenqvam ad Bullæ hujus obseqvium præstandum.

Juramentum porro Imperatorium non esse homagiale, sed nihil aliud promittere qvàm fidelem Pontificiarum rerum defensionem, anre aliqvot jam secula à qvammultis demonstratum est. Qvos inter nunc sufficit nominatim laudare unum Leopoldum de Bebenburg, magni Juris Canonici doctoris Joannis Andreæ ab ipso magistro laudatum discipulum & pòst Episcopum Bambergensem; qvippe qvi præclare hoc ipsum demonstravit *l. de Juribus Regni & Imperii Romanorum Capite nono & decimo tertio.* Ut sit autem homagiale, non tamen obligare potest, vel ad impossibile, vel ad injustum. Nec verò vasallus qvisqvam ad illa obstrictus est. At vero & impossibile fuit Imperatori pro defensione Papalium, qvamvis nonnisi prætensorũ, jurium plus agere, qvàm fuit ab illo factum: & Bullæ capita, saltem præcipua, sunt injusta. Iaq; nec ab Imperatore per Pacis transactionem qvidqvam est actum ipsius Juramento non consentaneum.

Vera porrò illa *Obedientia*, quam exigit Professio Fidei, non potest qvenqvam obligare ad impossibilia

sibilia & injusta. Qvum igitur Bullæ obseqvi, sit omnibus qvi Fidei Professionem istam fecerunt, impossibile, saltem hac ratione conscientias illorum non devincit illa jurata *Vera Obedientia*. Haud dubito autem, eosdem procul omni affectu & justa cura lectis atqve expensis iis qvæ hoc libro disputavimus, itidem agnituros, injusta & iniqva esse præcipua Bullæ Innocentianæ decreta. Multò magis igitur qvietâ conscientiâ etiam illi spernere Bullam istam poterunt.

Jusjurandum deniqve *Episcoporum* qvod attinet, jam tum *Capite* IX demonstravimus, insignem ejus partem de non alienandis bonis Ecclesiasticis absque præscitu & consensu Romani Pontificis, pridem amisisse omnem vim obligandi. Excusat præterea omnes Episcopos in conscientiâ impossibilitas vitandi omnia qvæ Bulla damnavit. Qvod si iidem qva par est cura omnia abs me disputata perpenderint, etiam iniqvitas Bullæ haud poterit latere. Atqve ità nihil omnino conscientiam illorum, propter non observatam Bullam, turbaverit.

Qvum par sit ratio omnium jurejurandotum qvæ solent intra Imperii limites Pontificibus præstari, non est necesse ut seorsim illa nunc veniant in considerationem. In universum igitur etiam hoc licet jam secure pronunciare, qvod salva conscientia ab omnibus omnino Romanæ Communionis possit Innocentianæ Bullæ nullum præ-

ſtari obſeqvium. Imo ſi qvi velint obſeqvi, illos impoſſibilia dum aggrediuntur, fruſtra laboraturos, dum moliuntur injuſta, & in Deum & in Rempublicam Imperii graviſſime peccaturos, cum ſuo pariter & publico ſummo diſcrimine.

Ne ulla ſuperſit cuiqvam dubitandi cauſſa (qvia hæc nempe à me hæretico dicta adeoq; ſuſpecta ſint) obſignabo hunc locum verbis ipſiusmet Cardinalis Bellarmini, & quidem ex *l.* ejus *2 de Romano Pontifice c. 29* (qvod opus unice inſtitutum eſt auctoritati Papali defendendæ,) repetitis. *Sicut*, inquit, *licet reſiſtere Pontifici invadenti corpus, ita licet reſiſtere invadenti animos, vel* TURBANTI REMPUBLICAM, *& multo magis ſi Eccleſiam deſtruere niteretur. Licet inquam ei reſiſtere, non faciendo quod jubet, & impediendo ne exequatur voluntatem.* Complura maximorum Eccleſiæ Romanæ recentioris ævi magiſtrorum in eandem ſententiam pronunciata addere, facile fuerit, ſed hoc unum nunc poteſt eſſe pro omnibus.

HOC AUTEM igitur expedito, jam qvidem omne inſtitutum opus ad finem ſuum eſt perductum. Faxit Deus immortalis, omnis boni dator, uti qvemadmodum Prior libellus juvit nonnihil ad animos Paci conſtituendæ præparandos, ita hic Poſterior meus labor ad eandem Pacem perpetuo conſervandam non minore felicitate opituletur. Hoc eqvidem Deum oro atqve obteſtor.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTISSIMI DOMINI N. D.

INNOCENTII

Divina Providentia

Papæ X

Declaratio nullitatis Articulorum nuperæ Pacis Germaniæ:

Religioni Catholicæ, Sedi Apostolicæ, Ecclesiis, aliisque Locis Piis, ac Personis, & Juribus Ecclesiasticis, quomodolibet præjudicialium.

Juxta Exemplar ROMÆ impressum

Ex Typographia Reverendiss. Cameræ Apostolicæ

Anno reparatæ salutis à partu Virginis 1651.

INNOCENTIUS
PAPA DECIMUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

ZELO Domus Dei animum noſtrum aſſidue commovente, in eam præcipue curam ſedulo incumbimus, ut Orthodoxæ Fidei integritas, ac Eccleſiæ Catholicæ dignitas & auctoritas, ubique ſarta tecta conſervetur; neve eorum, qui quærunt ſua potius quam quæ Dei ſunt, facto, jura Eccleſiaſtica, quorum Aſſertores à Domino conſtituti ſumus, aliquod detrimentum accipiant, nosque ſupremo judici rationem villicationis noſtræ reddituri, negligentiæ in credita Nobis adminiſtratione arguamur.

Sane cum intimo doloris ſenſu accepimus, quod per plures annos Oſnabrugis die 6. Auguſti A. 1648 inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ferdinandum Romanorum Regem & Imperatorem electum cum ſuis Fœderatis & Adhærentibus ex una, ac Suecos cum eorum itidem Fœderatis & Adhærentibus ex altera, nec non alterius Pacis Monaſterii Weſtphal. die 24. Octobris ejusdem A. 48. inter eundum Ferdinandum Romanorum Regem & Imperatorem electum cum ſuis pariter fœderatis & adhærentibus ex una, atque chariſſimum etiam in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum cum ſuis ſimiliter fœderatis ex altera partibus, reſpective initarum, Articulos, graviſſima Religioni Catholicæ, divino cultui, Sedi Apoſtolicæ, & Romanæ ac inferioribus eccleſiis, Ordinique eccleſiaſtico, ac Jurisdictionibus, Auctoritatibus, Immunitatibus, libertatibus, exemtionibus, privilegiis, pactis, turnis, ac juribus illorum illata fuerunt præjudicia.

Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis hujusmodi, inter alia, Bona ecclesiastica aliaque ab hæreticis occupata illis eorumque successoribus in perpetuum addicuntur; Hæreticis Augustanæ, ut vocant, confessionis liberum suæ hæreseos exercitium in plerisque locis permittitur, & locorum pro ædificandis ad hunc effectum templis assignatio permittitur; ipsique cum Catholicis ad publica munia & officia, ac ad nonnullos Archiepiscopatus, aliasque dignitates, & beneficia ecclesiastica, Precumque primariarum Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur; Annatæ, Jura Pallii, Confirmationes, Menses Papales, & hujusmodi Jura ac Reservationes, in bonis Ecclesiasticis dictæ Confessionis Augustanæ excluduntur; Confirmationes electionum, seu postulationum prætensorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aut Prælatorum ejusdem confessionis, potestati seculari attribuuntur; plures Archiepiscopatus, Episcopatus, Monasteria, Præposituræ, Balliviæ, Commendæ, Canonicatus, & alia beneficia & bona ecclesiastica, principibus hæreticis eorumque hæredibus, etiam sublata denominatione ecclesiastica, in feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo conceduntur; Contra pacem hujusmodi ullumve ejus articulum, nulla jura canonica vel civilia, communia, specialia, Conciliorum decreta, Religiosorum ordinum regulas, juramenta, aut Concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta sive politica sive ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones, allegari, audiri vel admitti debere, disponitur; Numerus septem Electorum Imperii, olim Apostolica autoritate præfinitus, sine nostro & Sedis præfatæ beneplacito augetur, & octavus Electoratus in favorem Caroli Ludovici Comitis Palatini Rheni hæretici instituitur; aliaque multa, quæ pudet referre, orthodoxæ religioni, Sedique

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dique præfatæ, ac Romanæ & inferioribus Eccleſiis, cæterisque præmiſſis, ſummopere præjudicialia & damnoſa, decernuntur.

Et quamvis venerabilis frater Epiſcopus Neritonenſis, noſter & Sedis præfatæ ad Tractum Rheni & inferiores Germaniæ partes Nuncius extraordinarius, in executionem mandatorum noſtrorum, fuerit palàm noſtro & ejusdem Sedis Apoſtolicæ nomine proteſtatus: ejusmodi articulos eſſe irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes poteſtatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notiſſimi juris ſit, quamcumque transactionem, ſeu pactionem, in rebus eccleſiaſticis, ſine præfatæ Sedis authoritate factam, nullam nulliusque roboris & momenti exiſtere; Attamen quo efficacius præmiſſorum indemnitati conſultum ſit, pro commiſſi nobis ex alto Paſtoralis officii debito, providere volentes, ac Inſtrumentorum utriusque Pacis hujusmodi, omniumq; in illis contentorum, cæterorumque hîc etiam neceſſario exprimendorum & inſerendorum, tenores etiam veriores, & datas, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes; Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictos alterius ſeu utriusque Pacis hujusmodi articulos, cæteraq; in dictis Inſtrumentis contenta, quæ Catholicæ Religioni, divino cultui, animarum ſaluti, eidem Sedi Apoſtolicæ Romanæ & inferioribus eccleſiis, ac ordini & ſtatui eccleſiaſtico, illorumque perſonis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscunq; qvomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, ſeu intuliſſe, & aliàs nocere, aut nocuiſſe, quoquomodo dici, intelligi, prætendi, vel cauſari poſſunt, cum omnibus inde ſecutis & quomodocunqve ſequendis;

ipso jure nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusq; & effectu vana, omnino fuisse, esse, & in perpetuo fore: neminemq; ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri: neq; ex illis cuiqvam aliqvod jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam præscribendi, etiamsi longissimi & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem seu interruptionem, subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minúsve ullo tempore acquiri & competere posse: neque illa ullum statum facere vel fecisse: atque perinde ac si nunquam emanassent, pro non existantibus & non factis perpetuo haberi debere: tenore earundem præsentium, decernimus, vel declaramus.

Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, articulos præfatos, aliaq; præmissa, ut præfertur, præjudicialia, motu, scientia, & deliberatione, & potestatis plenitudine, penitus damnamus, reprobamus, nullamus, cassamus, annullamus, viribusq; & effectu vacuamus; & contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo protestamur. Et quatenus itidem opus sit, easdem, Sedem Apostolicam Romanamque, & inferiores ecclesias, ac quælibet loca pia, & quascunque personas Ecclesiasticas, adversus illa, in integrum ac pristinum, etiam in quo ante prædictam & quascunque alias assertas seu prætensas anteriores transactiones, pactiones, seu conventiones circa præmissa, ubicunq; & quomodocunq; factas, erant, statum restituimus, reponimus, ac plenarie redintegramus.

Præsentes quoq; literas cum omnibus & singulis in iis contentis, etiam ex eo quod præfati, & quicunq; alii, etiam speciali mentione & expressione digni, & in præmissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenus consenserint; nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minusque causæ propter quas eædem præsentes emanarent, deductæ, verificatæ, seu aliàs

sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ fuerint; nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis, quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocunque alio colore, prætextu, causa, & occasione, moveri, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut in terminos juris reduci posse; sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, suosq; plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: Ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat & spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; Sicque & non aliter, in præmissis omnibus & singulis, per quoscunque judices ordinarios & delegatos, etiam Palatii Apostolici auditores, nec non S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac ejusdem sedis Nuncios, & quosvis alios quacunq; authoritate fungentes, nunc & pro tempore existentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi declarandi & interpretandi facultate & authoritate, semper & ubiq; judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, tam generalibus quam specialibus, etiam in Comitiis universalibus editis, & quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apost. regula de non tollendo jure quæsito, & constitutione fel. record. Pii Papæ quinti Prædecessoris nostri de gratiis qualecunq; interesse Cameræ Apost. concernentibus intra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis & registrandis, ita ut præsentes nullo unquam tempore in eadem Camera præsentari seu registrari necesse sit; legibus quoq; Imperialibus & municipalibus; nec non quibusvis,

etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoqve, indultis, concessionibus, & litteris Apostolicis, quibuscunque locis, & personis, etiam Imperiali, regali, & alia quavis sive Ecclesiastica sive mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus; etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine; similibus etiam consistorialiter, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, & aliòs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressè facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent præsentibus, pro plene & sufficienter expressis & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissarum effectum, specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium, in judicio & extra illud, adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI Novembr. & solenniter ibidem publicatum 3. Januarij Anno M DC LI Pontificatus Nostri octavo.

M. A. Maraldus.

Observandum, in exemplaribus ante publicationem passim circumlatis finiri Bullam hisce verbis: die XXVI Novembr. M DC XLIIX. Pontificatus nostri Anno qvinto.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FABII CHISII
Episcopi Neritonensis & Nuncii
Pontificii

PROTESTATIONES

Adversus PACEM Osnabrugæ &
Monasterii conclusam.

EGo Fabius, Dei & S Sedis gratia Episcopus Neritonensis ac Nuncius Apostolicus, omnibus & singulis quorum interest, veritatis documentum ac salutem in Domino sempiternam. Quamvis extraordinarii muneris mei, ab Apostolica Sede mihi commissi, cura, eam solum, de qua Monasterii inter Catholicos agitur, Pacem concernat; extraordinariæ tamen Legationis officio mihi pariter ab eadem Sede Apostolica injuncto, attendere debeo, & cavere, ne etiam alibi, ac præsertim intra ejusdem Legationis limites, Dei Ecclesia atque Apostolica Sedes, in suis Bonis, Juribus, Immunitatibus, Privilegiis, & quod caput est, in divino cultu ac salute animarum, detrimentum accipiat. Quapropter eos Principum ac Statuum Catholicorum Legatos Osnabrugi cum Acatholicis Pacem tractantes, requirere, admonere, hortari, obtestari, non desistebam coràm, antequam se eò conferrent, tum literis postmodum aliisque adhortationibus, ut ubique & in omnibus, Catholicæ Religioni, animarum saluti, Apostolicæ Sedi, ejusque dignitati & immunitati, consulerent, ac Dei potius protectione causæque bonitate magis quam Politicis rationibus confisi, nihil prorsus à dictis regulis divino humanoque jure præscriptis alienum admitterent; si quid vero in contrarium ab eorum nonnullis fieret, non tantùm omnem consensum, favorem, conniventiam, per me denegari, sed palàm etiam contradici atque acriter repugnari. Quemadmodum si quid contra attentatum fuisse accepi, obstiti, & omni studio, quantum in me fuit, impedire, corrigere, & in melius reformare conatus sum.

Cum verò his non obstantibus, in dicta Urbe Osnabrugensi, de pluribus Pacis articulis seu conditionibus inter quosdam Legatos conventum fuisse dicatur, post Christianissimi Regis Galliarum ac aliquot Statuum Imperii Legatorum ad hanc Urbem adventum, quæ Dei honori, Ecclesiæ, saluti animarum, atque Apostolicæ Sedi, grave damnum ac præjudicium creent,

id quod reliqvum mihi est facio, omnibusque ejusmodi Articulis & singulis, ac si de verbo ad verbum hic forent expressi, nomine S Sedis Apostolicæ ac S. Patris nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ Decimi, apertè ac palàm per patens hoc Testimonium repugno, resisto & contradico, atque omni meliori modo, via, causa, & forma, quibus pro officii mei ratione teneor ac possum, protestor, eos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos.

In quorum fidem & perpetuam memoriam idem Testimonium manu mea subscriptum, ac majori Sigillo munitum volui.

Datum Monasterii Westphalorum in Aula Residentiæ nostræ apud Minoritas, die 14, Octobris Anno 1648.

L. S.

Fabius, Episcopus Neritonensis Nuncius Apostolicus.

Ego

EGo Fabius, Dei & sacræ Sedis gratia Episcopus Netitonensis ac Nuncius Apostolicus, omnibus & singulis chirographo hoc notum atqve testatum facio, me tum jussu Pontificis ac muneris mihi demandati intuitu, tum propriæ Deo dante voluntatis propensione, in Tractata Pacis generalis inter Christianos Principes hac in civitate sanciendæ, nihil unqvam prætermisisse eorum, qvæ ad illam concilianda justeqve ac firmiter stabiliendam, conducere in Domino visa sunt. Qvoniam vero ex Evangelia doctrina hæc justitiæ regula est, ut, *quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: (cæteris qvæ suorum sunt Principum satagentibus) ea mihi præcipue cura atqve sollicitudo incubuit, ne, qvæ Dei, qvæ Christi, qvæ Catholicæ Religionis atqve Ecclesiæ sunt, ob ullam hominum cupiditatem vel metum, qvidqvam damni aut detrimenti acciperent, sed starent instar firmissimæ petræ, adversus qvam infernales portas nunqvam prævalituras Dominus noster sua nobis promissione sancivit. Id deniqve totâ animi corporisqve contentione hactenus egi, ut haud aliis Pactis mortalium Principum arma qviescerent, qvâm, qvæ Deum Opt. Max. ad graviora contra nos bella suscitanda, non irritarent. Qvamobrem si qvando inter agendum cum Catholicorum Principum Ministris proponi aliqva, sive indicari, aut involvi audio, qvæ directe aut indirecte Catholicæ Religionis conservationi, dignitati, immunitati, propagationi, & incremento, vel in minimo adversarentur, non tantùm omnem consensum, favorem, patientiam, conniventiam denegavi; sed palàm obstiti, aperte acriterqve repugnavi, & omni studio, qvantum in me fuit, impedire, corrigere, & in melius reformare conatus sum. Huc nempe spectabat solennis Protestatio per me sæpius interposita: qvod, si qvæ in Punctis sive Articulis ibidem propositis aut proponendis essent aut continerentur, qvæ salvo honore & jure Ecclesiæ Ro-

manæ, ac cum integra Religionis Catholicæ dignitate ac Pietate, ad animos Christianorum Principum inter se componendos facerent, seu facere viderentur, ea impugnare aut impedire nullatenus intenderem; si qvæ verò qvoqvo modo facerent, aut facere possent, contra Romanam Ecclesiam & sanctam Religionem, eiqve aliqvod præjudicium adferrent, illa extreme rejicerem, detestarer, damnarem, & pro invalidis nullis iniquis ac per non habentes potestatem attentatis, haberem ac declararem. Qvam Protestationem præmissam, in qvolibet actu vel conventu coràm me facto vel faciendo repetitam, omniumqve Tractatuum initio, medio, fine, ac toties quoties oportuisset, replicatam haberi volui, intendi, edixiqve, omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, qvibus pro officij mei ratione & poteram & debebam. Qvod Principum ac Statuum Catholicorum Ministri, cum qvibus tantùm egi, sive coràm sive per literas, ac Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Orator Aloysius Contarenus Eqves, qui plerumqve interfuit, testari possunt: ac latius ac specialius, si opus fuerit, loco & tempore congruis & opportunis, declarabitur. Insuper, ne contra Protestationes præmissas, ac subinde compluribus insinuatas, vel sola mea præsentia postremis hisce Tractatibus ac Pacis conclusioni aliqvid roboris aut assensus adjicere videretur; clara rursus & per se nota veritas est, qvod subduxerim me aliqvoties, ac ejusdem Pacis subscriptioni noluerim interesse; inaudiens ac dolens, in plurimis ac gravissimis monentis eam Catholicæ Religioni fore damnosam.

Ideoqve prioribus Protestationibus meis, modo iterum via ac jure qvàm optimis, reproductis, de præsenti fortius inhærere me profiteor, omnem etiam pulvisculum de pedibus excutiens, qvi commune quidquam habere possit vel cum minimo præjudicio sacræ Sedis & Catholicæ Religionis:

pro

pro qva, uti teneor, ita per Dei gratiam promptum me declaro & exhibeo, ad vitam & sanguinem profundendum.

Ad qvorum omnium & singulorum ampliorem diuturnioremqve notitiam atque evidentiam, apud absentes quoque & posteros adstruendam, Testimonium hoc patens ac publicum extare volui, manu mea subscriptum, & majore meo sigillo munitum.

Datum Monasterii Westphalorum die 26 Octobr. 1648.

Fabius, Episcopus Neritonensis Nuncius Apostolicus.

L. S.

Henricus Merinus Abbreviator.

HERMANNI CONRINGII

PRÆFATIO IN POLITICA ARISTOTELIS

ad

Illustrissimum Principem

D. GUILIELMUM

Ducem Brunsvicensium & Lyneburgensium.

Anno clɔ. Iɔ. c. xxxvii Kal. Maj.

QUicunqve Germaniam noſtram ſpectare hodie ſine gemitu & lacrumis poteſt, ILLUTRISSIME PRINCEPS, næ ille aut ſtupidus eſt, aut vero tam malus ut præ animi perverſitate non tangatur publica calamitate. Ac ſtupido qvidem atqve inepto homini nemo facile ſuccenſebit: qvi autem eo uſqve proceſſerit malitiæ ut tantis malis delectetur potius qvàm ingemiſcat, illum ſane ex Germanorum numero eiiciendum, imo ex humanæ naturæ finibus exterminandum, neſcio an non qvilibet mecum bonus cordatuſqve judicaverit. Eo nimirum devenimus miſeriæ, ut vix illi qvidqvam poſſit addi præter moram longiorem; ſacris profanisqve omnibus pollutis jam imo conculcatis. Neqve vero unqvam tam infelice fuimus loco, ex qvo in unam civitatem Germanici populi coiere. Toti autem octingenti ſunt anni, qvum Caroli Francorum regis rara felicitate, omnis Germania unum ſceptrum cæpit colere. Etſi enim tam immenſo temporis tractu numqvam fere ſua Germaniæ mala defuerint; numqvam tamen illa aut tanto cum damno aut tanto cum periculo fuere conjuncta. EQUE enim à vicinis qvidem habuit olim qvod metueret Germania: qvoniam in parva atqve invalida magnam partem regna tum illi dividerentur,

tur, ipsa contra viribus ac magnitudine omnibus longe præstaret. Nam Galliæ quidem regnum qvod trans Mosam & Scaldim nobis est, suos limites ab Henrico quem Aucupem nuncupant, & pòst ejus filio Othone I accepit : qvo Seqvani, Sclabi, Leuci, Mediomatrices, inque his Lotharingia, Lucemburgensis, Namurcensis, aliæqvæ ditiones complures, Germanici juris sunt facti, & uno ut verbo dicam, omne illud regnum qvod Lotharii dicebatur æternis legibus Germaniæ nostræ Cisrhenaræ conjunctum est. Accessit pòst Conrado Imperatore Burgundiæ sive Arelatense regnum : qvo simul Sebusiani, Viberi, Veragri, magna Helvetiorum pars, Allobroges item, & Galli Provinciales, atqve adeo quicquid à Jura monte inter Rhenum & Rhodanum ad mare usqve decurrit, intra limites Germanici Imperij sunt recepti. Illâ ergo tempestate profecto non multum valuit Gallia, nec potuisset illa transgredi hos limites, si, ut principio ita post Cæsarum Regumqve nostrorum dignitas mansisset salva. Eodem tempore nec Polonia adeo late patebat : à septemtrione sc. Æstyorum gentibus Prussis ac Livonibus, à meridie Bohemia Moravia atqve Ungaricis montibus, ab ortu Russis ac Lithuanis, ab occidente deniqve Marchia Brandenburgensi inclusa : Conrado insuper Sali-

quo

qvo Cæsare & fidem jurare & annuum tributum jussa pendere qvingentarum marcarum auri. Ungaria etiam numqvam sese movere ausa, ex qvo intra fines suos, à Carolo Magno olim Hunnis positos, ab Henrico Aucupe & Magno Othone est compulsa: qvin haud semel deliberatum in Ordinum conventu, de illa in provinciam redigenda, annitente potissimùm fortissimo Cæsarum Frederico Ahenobarbo. Eadem ferme conditio Daniæ fuit & Sveciæ. De Italia verò dicere ineptum fuerit, ut qvam parvisse nobis ea ætate certum sit; nunc vero etiam Imperii Germanici leges aliqvatenus audiat. In universum ergo æstimanti, unam Germaniam ad Henricum IV tum usqve, non singulis tantum vicinis regnis ac populis, sed & universis potuisse opponi, non est qvur debeat videri dubium aut vero absimile.

POSTILLA (fateor) magis magisqve & lapsa Imperii dignitas pariter, & crevit in vicinis nonnullis haud parum potentia. Æternum sc. est illud Livii: *Nulla magna civitas diu quiescere potest: si foris hostem non habeat domi invenit.* Erant Germaniæ populi animo feroces, manu prompti, bello læti, assueti latrociniis: neqve nova tentaturis hactenus qvidquam ferè præter occasionem aut vires defuerant: sed Henrico IV rege neqve illa neqve hæ amplius desiderabantur. Nam qui antecesserant reges publicorum regni bono-

rum imprudente profusione, cum rerum gerendarum nervo vim sibi auctoritatemq; multùm jam præsciderant. Eo qvippe vitio ab antiquissimis usqve temporibus Germanicæ semper laboravere respubl. ut nulla fisci atque ærarii facta distinctione, omnium æqve prodigendi potestas regibus permitteretur, hi vero nullum ejus modum ponerent: qvo regna interire necessum est. Accesserat jam tum aliud regnis æqve exitiosum vitium, nimia quorumdam procerum, Sacrorum præcipue, potentia, eaqve novo vitio pene hereditaria facta. Namqve initiò quidem innumeros in Comitatus quos vocant divisa Germania fuerat: jam tunc temporis vero, multis Comitatibus minùs circumspecta regum liberalitate in unum corpus concrecetis, quidam formidabiles suis opibus erant. Et sane tales cum alii tum inprimis qvidam erant Episcoporum; qvod majus erat vitium: quippe cum hi præter opes religione etiam armarentur. Aureum sc. est illud Aristotelis scitum: κοινὴ δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μηθένα ποιεῖν ἕνα μέγαν, ἀλλ' εἴ ὦρ πλείους, τηρήσ' σι γὰρ ἀλλήλους. ἐὰν δὲ ἄρα ἕνα δέῃ ποιῆσαι μέγαν, μὴ δι' ἀγαθοφυΐαν. ἐπιβελικώτατον γὰρ τὸ τοιοῦτον ἦθος περὶ πάσας τὰς πράξεις. *communis omnis monarchiæ custodia est, neminem unum magnum facere, sed plures si ita videatur, mutuò enim sese observabunt. Quod si aliquis magnus faciendus fuerit, non is tamen qui est ingenio audaci. Tale enim ingenium in negotiis omnibus est tur-*

turbulentissimum. Tantis verò vitiis laborante regno, qvis miretur, rege per ætatem adhuc despecto, immutatam tunc reipubl. pristinam faciem, ac soluta regiæ auctoritatis vincula esse? Certè occasionem motibus ejus temporis ab immaturis regis annis datam, jam tum Adamo est Bremensi observatum. *Gubernaculo*, inqvit ille, *regni mulier cum puero magno Imperii præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut muliebri potestate constringi, aut infantuli ditione regi, primò quidem conjuncti vindicarunt se in pristinam libertatem, ut non servirent: deinde contentionem moverunt inter se quis eorum videretur esse major: postremò armis audacter sumptis regem & dominum suum deponere moliti sunt.* Atq; ille quidem factus adultior, qua erat animi magnitudine, recuperare pereuntem dignitatem haud segniter profectò laboravit: sed neque satis omnia prudenter fortassis egit, & intervenere nonnulla fatali quadam adversitate, quæ ipsum penitus tandem regno atqve omni plane auctoritate exuerunt. Nec vero prudens qvis fortè laudaverit, qvod ab Episcopis in ordinem redigendis reparandæ dignitatis initia voluerit facere. Qvin nec id fortè satis cautè inceptum, qvod qvum Saxonicorum Principum potentiam præcipue suspectaret, eamqve vellet imminutam; militari licentia irritari ante eos passus, mox uno illos impe-

tu ad obſeqvium cogere conatus ſit: qvum tamen nec rebus ſatis firmis eſſet, & præterea jam tum cum alios Principes tum inprimis Epiſcopos multis injuriis offendiſſet, adeoqve in impietatis atq; injuſtitiæ opinionem ſe conjeciſſet: qveis regiam vim conſervaturo nihil eſt pernicioſius. Neqve verò ita tractandi ſunt ſi qvi ſint feroces, altiùſqve excreverint qvàm regiæ fortaſſis interſit dignitatis. Sapientiſſime ſc. Ariſtoteles jubet: κἂν τῆς δυνάμεώς τινα δοκῇ ϖλύνειν, ἐκ ϖροσαγωγῆς τοῦτο δρᾶν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὸ ἐξουσίαν, ἐπὶ γὰ πάσης μδυβρεως ἔργεσθαι: *Atq; ſi alicujus potentia videatur diſſolvenda, erit hoc ſenſim ac paullatim faciendum, nec univerſa ſimul auferenda. Præterea abſtinendum omni contumelia.* Idem non minùs prudenter ſvadet, debere regem, τὰ ϖρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ ϖροθύμως διαφερόντως: *videri ſemper ea màxime curare quæ ad Deos pertinent.* His itaque rebus qvum tandem nunqvam auditum hactenus fulmen Pontificium ex Italia, animos novarum rerum cupidos pariter & perqvam ſuperſtitioſos accenderet, fieri aliter non potuit, qvam ut regiæ majeſtatis qvod ſupererat magnâ prorſus parte interiret. Et interiit certe, qvando Principatibus aliis jam ante fere factis hereditariis, Epiſcopatuum etiam atqve Abbatiarum collationes qvas appellant regio arbitratui ſunt e-

rep-

reptæ. Benè enim Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII ſcribit, eo ipſo *majeſtatem & dignitatem Imperii Romani everſam; dimidium Imperii ab Imperatore ſublatum; imo ea fundamentò jacta, quibus illius poteſtas omnino labefactaretur.* Ita ſc. ſeſe res habet: tantum qvis valet qvantum aut pœnis aut largitionibus valet: metu autem ſublato & ſi nec qvod à te ſperent ſuperſit, ſimul & auctoritas omnis concidat neceſſum eſt. Neqve vero pòſt multum eſt Imperatoribus relictum qvo animos malè ſubditos ſibi conciliarent: itaqve & paulatim magis magiſqve dignitas eorum imminuta, & regnum varias in partes vix leviter mutuò connexas diſcerptum eſt. Non enim eo ex tempore tam ſeriò de reipubl. magno illo & integro corpore conſervando fuit actum, qvam qvo unusqviſqve communi corpori ſeſe ſubduceret, privatimque potentia aliqua parta regiam vim inter ſuos exerceret. Eo ſane factum, ut procedente tempore nonnullæ Imperii veteres portiones in libertatem (ut qvidem ipſis viſum, cum tamen in majorem pleræq; ſervitutem ſint redactæ) ſe vindicaverint: nonnullæ opibus in aliorum formidinem creverint, redactis jam illis olim infinitis Comitatibus ad paucos: quod ipſum quidnam minitetur haud latet peritos rerum. Certe eum in locum de-

niq; res venerunt, ut vix quidquam ſuperfuerit ampliùs quo unitiſſima ante Regni membra ad communia conſilia continerentur, præter Turcicæ potentiæ & proſcriptionis metum: donec Friderico III & Maximiliano I Cæſaribus de arctiùs conjungendis Germaniæ Ordinibus magis ſedulò cœpit actitari. Et ſanè eo conſilio in Circulos, quos vocant, Germania diviſa eſt. Nec illud non merito laudaveris: ſi non & illa diviſio unitati reipublicæ nonnihil fortaſſis impedimento ſit. Adeo ſane noxia civitati omnis diſtinctio eſt, ut vel locorum aliqua varietas atque intercapedo ſeditionibus ſufficiat alendis. quod prudentibus notatum. Fatendum tamen omnino eſt, poſt deminutam regiam auctoritatem, huc illuc dilabentibus Imperii membris, non melius remedium aliquot fuiſſe ſeculis adhibitum. Certè abs illo ſi fuiſſet, jamdudum Germania in partes diſſoluta inque ſe mutuò ruens interiiſſet. Taceo & paci publicæ eo conſultum eſſe, & legum auctoritati; quæ ſine cogendi facultate ludibrium juſtitiæ ſunt. Nonnullis utiq; leviter mutatis & paucis additis, ſi non ad proferendos limites aut recuperanda amiſſa, ad defendenda tamen quæ ſupererant, inprimis ad libertatem Ordinum conſervandum, illis inſtitutis ſufficere ſibi Germania potuit.

Sed

Sed vix cœperat illa constitutio, qvum exorto religionis dissidio, ita statim Principum populorumque animi sunt distracti qvàm antehac numqvam; enatisqve religionis aut causa aut prætextu variis factionibus, effectum est, ut optimo instituto, qvove uno pene Germania stabat, suus fructus idemtidem hactenus defuerit, donec hoc civile bellum, omnium queis Germania unquam laboravit funestissimum & mole maximum, illam pariter & bonas leges cæteras sustulit ac conculcavit. In eas sc. angustias conjecta est hodie discordiis nostris, Illustrissime Princeps, Germania, ut antegressa mala ludum jocumque præ hisce meritò dixeris. Nocuerunt enim plurimùm qvidem istæ post HENRICUM IV regem innumeræ pene factiones, effeceruntqve ut, sublato nostri metu, vicini populi primò Imperium detrectari, mox & partem Germaniæ decerpi, impune posse didicerint. Attamen & damni minus poterant dare, utpote initio ipsi qvoqve non multum validi, & minus etiam sunt ausi memoria antiqvi roboris nostri adhuc durante, neqve ita ut nunc singulorum attritis viribus, animisqve omnium distractis in diversa. Neqve verò aliam ob rem, quam propter intestinos majorum motus & Polonia & Italia paulatim imperium exuit Germanorum: neqve alia fere de causa Transalpinas regni partes invadere Galli, Poloni, aliiqve

sunt

sunt ausi: certe non alia occasione multi Imperio subditi Ordines propria sibi domi regna cœperunt condere. Hæc qvippe omnia optimatum nostrorum cum Cæsare HENRICO IV bella statim excepere. Qvod qvoniam de Polonia qvidem, scriptor ejus ætatis accuratissimus, Lambertus Aschafnaburgensis, sapienter memoriæ tradidit, forte haud absre fuerit illum heic audiri. *Dux Polonorum*, inqvit ille ad annū MLXXVII, *qui per multos jam annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cujusq; regnum jam olim Teutonicorum virtute subactum atq; in provinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem regiumq; nomen sibi usurpavit, diadema imposuit, atq; ipso die natalis domini à XV Episcopis in regem est consecratus. Quæ brevi pòst comperta, Principes Teutonicos, quibus reipubl. dignitas curæ fuit, graviter affecere: sibiq; invicem succensebant, quod dum intestinis in se atq; in sua viscera odiis sævirent & digladiarentur, potentiam opesq; barbarorum in tantum aluissent, ut jam tertio dux Boëmicus regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragrasset, & nunc dux Polonorum, in ignominiam regni Teutonici, contra leges ac jura majorum, regium nomen regiumq;* diade

diadema impudens affectasset. Hæc ille; prolixius forte qvam ut omnia ejus verba recitari à me debuissent: vere tamen. Qvîs profecto manifestum fit, tunc etiam temporis, omnibus in partes sciſſis, damnum civilis discordiæ seriò nonnullos Procerum deploraſſe. Et verò, redacta qvidem pòst nonnihil in ordinem viciſſim est Polonia, sopitis factionibus; iisdem tamen atrociter recrudescentibus, FRIDERICO II Cæsare potissimum, cumqve illo concidentibus majori ex parte regiæ dignitatis reliqviis, illa ad ingenium reversa non tantum penitus Imperii sese legibus subduxit, sed & Jagellone rege in eandem rempublicam concedentibus Lithuanis, ita crevit, ut nec dubitaverit, præter Masoviam, Æstyorum gentes, Prussos inqvam & Livonos, nobiles profectò Imperii Germanici portiones, sui juris efficere. Minor fuit Italiæ fortuna, & ipsâ qvippe factionibus laborante; qvantum tamen contra Germanos pòst funesta illa HENRICI cum Proceribus certamina fuerit ausa, qvantumqve extulerint nonnullæ Langobardici regni urbes caput suum, in qvam potentiam Curia Romana Germanicis illis motibus surrexerit, qvomodo deniq; novum ibi regnum conditum erepta Apuliæ provincia; nemo ignorat nisi rerum ejus temporis imperitus. Is verò ibi fuit e-

xitus: ut qvi FRIDERICUM II seqvuti sunt Cæsares, contenti fere jura sua antiqva per factiones Gibellinicas conservare, præter Augustum Imperatorium nomen, umbram potius pristinæ auctoritatis retinuerint in Italis qvàm vim certam imperii. Non alia autem occasione & Arelatense Regnum in Galliæ potestatem pervenit. Interceptũ enim initiò illud esse Rudolpho Cæsare, summe debilitata post interregnum publica Imperatorum auctoritate, & componendis civilib9 turbis occupato Rudolpho, memorant annales. Obtemperabant qvidem etiam ante minùs qvam par erat regiones illæ. Sed & illud reipublicæ vitio fiebat, qvum summi ante imperii jure Cæsares nostri post Conradum illis præfuissent. Qvicqvid sit; certe qvod illius regni plæraqve hodie Gallici juris habeantur, sive fiduciarium illud jus sit sive pleni dominii, (neque enim id disputare nunc meum est) intestinis profectò dissidiis debet Germania; coactis tandem Cæsaribus qvacumqve beneficii specie donare qvæ ipsis nolentibus tamen possiderentur. Jam Mediomatricum urbem, Tullum item ac Virodunum, qva Galli ratione suæ ditionis fecerint, qvum patrum memoria sit gestum, neminem potest latere: sicuti neqve id temere qvempiam fugit, quantum in Italiam aut Carolus VIII sit ausus aut post illum successores tentaverint.

In-

Interim videlicet dum decrevit regia dignitas apud nos & respublica in partes minuta est, alibi contra plurimum crevere civitates, aut productis limitibus, ut apud Polonos, aut vi regnantium aucta, ut in Gallis. Nam Poloniæ qvidem regnum vastissimo hodie spacio à nobis in Pontum usqve Euxinum, ab Ungaria item ad Suevicum seu Balthicum mare extenditur; qvum olim istis qvos ante significavi terminis coarctaretur. Non multa etiam secula effluxere, qvum regum auctoritas in Galliis pene precaria magis esset qvàm suæ spontis: at postqvam Ducatus Comitatusqve, qvorum & apud illos magnus olim numerus atqve regibus æmula potentia erat, non ad optimates ut in Germania sed in regum devenere potestatem, simulqve pulsis Anglis & emortua Burgundicâ domo, cesserunt formidabiles factiones; auctis opibus additum regibus robur maximum est; adeo ut jam seculo integro amplius, qvi sua antehac ægrè tuebantnr, Europæ universæ fortunam non levi nunc ex parte moderentur. Eadem vero conditio est & reliqvorum ferè regnorum omnium. Ungarorum enim etsi multùm sit labefactatum, tantumqve non penitus excisum, in illum tamen locum accepimus longè potentissimam Othomannicam tyrannidem; adeoqve nullo hodie latere magis

metuere habemus nobis qvam illo ipso, cervicibus Germaniæ imminente hoste non minus crudeli ac inhumano qvàm valido & feroci. Qvæ item memoria (ut in Septemtionem me convertam) aut ipsa meminit aut audivit ex majoribus, Suecorum auspiciis in mediâ Germaniâ gestum bellum, qvale nostra ætas videt maximum? Qvæ secula aliqvamdiu tam compositam Danorum rempubl. memorant, qvàm est hodie? Qvando omnis Britannia uni paruit? Ne dicam de Russorum imperio, qvàm illud vastum Tatarorum plurimis subactis cæperit esse nuper primùm. Jam Hispania qvis ignorat, aut qvo terrore totum terrarum orbem compleverit, vel qvam recenter demum formidabilis illa esse ceperit? Tangere enim isthæc nunc satis est; memorare fuerit inane ac superfluum.

Sed qvum tanta sit omnium circumcirca regnorum potentia hodiè; qvumqve discordiæ civiles jamdudum damni tantum potuerint dare, validioribus adhuc rebus nostris, adversariorum autem minùs valentibus; qvum deniqve jam olim istæ despectabiles nos reddere potuerint, qvæ tamen numqvam in hunc modum exarserant: qvid sperare hodie habemus, Sapientissime Princeps, qvid habemus nobis polliceri? Neqve verò inter potentes tuto qviescas. Ubi dominatus qværitur,

pax

pax & tranqvillitas tua irritamentum est servitutis. At vero bellis intestinis implicita gens non nisi civilia cogitat, nil metuens nisi civile, de reliqvo secura, qvasi aut à nemine viderertur aut medios inter amicos ageret. Idemtidem etiam id solet fieri, qvod alibi ait Titus Livius: ut *pars quæ domestico certamine inferior est externo potius se applicet, quam civi cedat.* Sic odio præsentium videlicet agitantur sæpe partes, ut sperent salutem ab iis etiam qvos suæ saluti insidiari, aut non ignorant, aut remota paululum affectus nebula ignorare non possent. Utinam verò non etiam nobis contingat qvod verè olim de Romanis divinavit Crispus! *Ego sic existimo*, dicebat ille ad Cæsarem, *quoniam orta omnia intereunt, quâ tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventârit, cives cum civibus manus conserturos. Ita defessos & exsangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter, non orbis terrarum, nec cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium.* Ac certè non etiam nostrũ hoc imperium vel uniti vicini populi omnes, vel remotiores qviqve lacesserent impune, si concordes ageremus, & idem volentes idem nolentes consuleremus in commune. Contra autem plane qvum à nobis fiat, prohibeat saltim Deus id omen, transferatque in hostes malum illud, qvod prudentia no-

bis metuendum indicat. Neq; tamen externis tantum patet ad ictum civitas suis dissidiis, sed & ipsis civibus, ipsis amicis ejusdemque sacramenti hominibus, maximè ubi veram atque sine exceptione victoriam aliqui expresserint. Habent quippe illi tum in manu rempubl. inq; arbitrio suo; qvam ut velint in pristinum reducere statum, vix possint tamen præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ. *Omnia sc.* (ut sapienter loquitur M. Tullius) *sunt in bellis civilibus misera: sed nihil miserius quam ipsa victoria. Quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresque reddit: ut etsi natura tales non sunt, necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio per quos vicit facienda sunt.* Qvotus verò quisque est, qui cum possit non etiam velit dominari hostibus devictis, aut rempubl. illo rursum loco cupiat esse, quo cum esset, ipse non poterat esse loco suo? Nimis dulce est regnare: nihil dulcius certe vulgò æstimatur, qvàm hostibus imperare. Sic sc. ferè res est: ut dominatus ex victoria civilis belli natus non tam vitio vertendus sit victori, quam illi qui belli auctor temere fuit: quum movere istiusmodi bellum malitiæ plerumque sit extremæ, dominatum armis partum nolle dimittere, communis hominum impotentiæ. Taceo nunc, quanto

sit

sit cum reipubl. periculo conjunctum, non tantùm si alterutra pars plene vicerit, sed si vel leviter vicerit. Statim enim illa præponderat, trahitque reipubl. secum aliquam partem; quod profecto communi libertati per est inimicum. Ne illud quidem dicam: quod etsi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen *repostum alta mente* inflictum utrinque vulnus, haud rursus coëunte facile verâ amicitia ac firmâ societate; quâ sine tamen nulla civitas est salva.

Cœterum, quamobrem isthæc reipubl. nostræ mala nunc tango? aut quare pericula, in quæ bello civili hoc conjecti sumus, nunc clara quasi in luce propono, quum tamen reipubl. maximè interfit isthæc ignorari? Equidem fateor, *Illustrissime Princeps*, nihil magis in rem nostram posse fieri, quàm si mala nostra omnis vicinia nesciat: utpote cui per istorum conscientiam maximè vilescamus, adeoque dominatui externo (uti ità loquar) moveamus salivam. Sed quei ignorent, qui ungues in nostris ulceribus habent? Aut verò quomodo tegamus, quæ in orbis universi oculis ita hactenus sunt gesta, ut & ipse in partes sit raptus, idque vel uti suffunderet pro frigida oleum, vel ne damni alieni communione ipse afficeretur. Nec tamen ego sine causa isthæc sum apud Te conquestus; sed cùm

ne

ne nihil agerem in patriæ incendio, tùm ut de optima notâ commendarem istam sapientiam cujus ego auctorem maximum nunc offero. Etsi enim nemo prudens, aliis satagentibus, cum Diogene dolium volverit, neque rempublicam attingam ego, illorum verò potissimum, quibus ejus curam aut nascendi lex aut sacramentum injunxit, in officio sit consulere in commune: silere tamen & qviescere in utramque aurem, si nihil aliud, saltim privata qvæ ex publico proveniunt mala cottidiana, etiam me & mei ordinis homines non permittunt. Etenim nos qvidem præda tantùm victori sumus, utque pilas nos agunt excelsi illi terrarum Joves: conqueri tamen, nisi fallor, licet & nobis, quod in prædæ veniamus partem, aut duriùs allidamur solo; fortè verò & acclamare in periculum ruentibus illis magnis Diis, obligamur. Maxime tamen isthæc me loqui fecit eruditionis negocium, & cumprimis civilis sapientiæ: utpote quam ex merito commendare philosophiam professi sit, commendare autem non liceat, nisi in scenam adductis reipubl. nostræ ingentibus malis, quæ ex ejus cumprimis neglectu (nisi valde decipior) magnam partem hactenus profluxere, nunc verò emendari nequeunt nisi ex illa ipsa remediis comparatis. Nimirum (ut bene Tullius loqvitur) *ars vivendi est prudentia, ut medici-*

dicina valetudinis. Qvemadmodũm igitur artem ſuam laudaturi medici intereſt, haud neſciri vim morborum: ita profecto, qvo pateat tandem aliqvando hominibus noſtris civilis prudentiæ non utilitas dico ſed planè neceſſitas, in rem eſt non tacere qvæ rempubl. maneant mala niſi provideatur. Satis enim, imo plùs ſatis, luit hactenus Germania negligentius habitæ prudentiæ culpam: utinam ſolùm tot moniti damnis rectiùs ſapiamus in futurum! Initio enim regia, qvæ erat maxima auctoritas, & illâ certè tempeſtate longè feliciſſimè evenit patriæ noſtræ, haud aliâ æqvè re qvàm non obſervatis regnandi legibus qvas civilis hæc doctrina ſciſcit, concuſſa eſt: certè obſervatis illis ſtaret & iſta hodie inviolata, adorarentqve etiamnum Germaniæ veſtigia qvi nunc illius inſultant cervicibus. Qvæ deinde cauſa alia armavit in Principes nonnullos populum ſubditum, qvàm eadem regnandi ſive imperitia ſive incuria? Imo verò quâ alia re factum; ut poſt collapſam vim regiam, qvum reſpubl. qvaſi ſuapte ſponte in ἀριστοκρατίαν iret, facile certè fuiſſet firmam aliquam ac ſolidam condere non minus quam Veneta eſt, in varias potius illa partes abierit & pro uno reipubl. corpore natæ ſint tantùm non (ſi fas eſt dicere) ſcopæ diſſolutæ? Enimuero ſi ſuus fuiſſet prudentiæ apud nos civili

locus non arma ista induisset Germania, quibus *nobilitas cum plebe perit* hodie, & omnis patria in cineres ac favillas dispergitur, triste servitium nescio cui tandem præbitura. Ut vero prudentia isthac neglecta in has præcipue ærumnas incidimus, ita profecto, si qvæ adhuc spes fuerit salutis, ab eadem diligentius cultâ unice illa exspectanda est. Et vero undenam collabascens aliqva respubl. præsentius capiat auxilium ac ruinæ suæ fulcimentum, quàm ex illa doctrina, qvæ sola novit quid fugiendum publicè quid appetendum sit, qvæ sola pericula damnaque expendit, qvæ denique spe metuque utrinqve libratis sola non ignorat medicinam malorum? Hæc est enim, *quæ* (quod ille ait) *præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur.* Neque enim est quur in his negotiis, aut Ammonem consulamus, aut petamus Delphos, aut inspiciamus exta, aut aves observemus, aut postremò Chaldæos nostros interrogemus; qvod nunc etiam tot post interdicta divina humanaqve multis cernimus esse familiare.

Non enim sunt ji aut arte divini aut scientia,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Qui sibi semitam non sapiunt alteri monstrant viam.

Solus in hisce prudens sapit. Soli illi datum immi-

nen-

nentia non neſcire. Inquantum ſane futurorum capax eſt humanum genus. Etenim

multa tegit ſacro involucro natura, nec ullis
fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia.

Et verò habet & heic locum illud ex arte medica: τῶν ὀξέων νοσημάτων ἁπάμπαν ἀσφαλέες αἱ προσδιαγρεύσεες ἔστε τοῦ θανάτου ἔστε τῆς ὑγείης *in morbis acutis non in totum certæ ſunt prænunciationes neq; ſalutis, neq; mortis:* qvippe qvum in illis reipubl. converſionibus non tantùm acutum aliqvid ſit verùm etiam fatale; quod ut à ſolo Deo eſt ita ſolius Dei eſt ſcire. Qvæcunque tamen humano in his ſunt ingenio pervia, illa profecto non aſtra, non aves docebunt, ſed prudentiæ oracula.

Corniger hæc nobis non altiùs inprimet Ammon. Ab illis etiam promptiùs remedia malis noſtris impetrabimus, qvam Græci olim Delphis. Hæc incorrupti conſiliarii, absqve odio, abſqve timore & ſpe; ut qvorum & cauſas ſola habeant procul. Et verò in ea incidimus tempora, qvando non amplius licet hæc negligere inconſulta. Ut enim impetrent veniam ſuæ negligentiæ tempora anteceſſa, hæc certè neſcio qvî inveniant. Scilicet ut ſecundo vento aut tranqvillo cœlo, inqve alto, longè à rupibus, ſine periculo clavus navigii cuivis etiam committitur; inter Syrtes vero aut depreliantibus Aqviloni-

bus ad ſolum tuto nauclerum recurrimus: ſic qvieta adhuc republ. fortaſſis licuerit non advocare ſemper prudentiam civilem in conſilium, & potuerint illam non male moderari vel de trivio homunciones; at nunc qvando ſumma imis vertuntur, qvumqve error qvilibet habeat qvid lethale, profecto moribus illis (niſi totus fallor) vivere & nefas magnum & ſumma dementia fuerit. ὥσπερ γὰρ (ut ſapientiſſimè loqvitur Ariſtoteles noſter) τὰ μὲν σώματα εὖ διακείμενα πρὸς ὑγείαν, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυτιλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πλωτῆρσιν, ὑπαδέχεται πλείους ἁμαρτίας, ὥστε μὴ φθείρεσθαι δι' αὐτάς· τὰ δὲ νοσερῶς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλέλυμβα, καὶ πλωτῆρων τετυχικότα φαύλων, οὐδὲ τὰς μικρὰς δύναται φέρειν ἁμαρτίας. οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ χείρισται πλείστης δέονται φυλακῆς, *ut corpora bene conſtituta & naves ad navigandum nautis benè inſtructæ plura peccata citra interitum recipiunt, morboſa verò corpora & naves fatiſcentes malisque inſtructæ nautis, ne parva quidem incommoda queunt ferre: ita & peſſima quæque reſpubl. plurimam deſiderat & accuratam cuſtodiam.*

Quod ſi vero Prudentiæ illius conſilia audire vel nolimus, vel non qveamus, qvid ſupereſt (abſit vero æternùm illud omen) qvàm ut ferale illud clametur: *exequias reipubl. ac libertati Germanicæ quibus commodum ire: hem tempus eſt.* Neqve enim cum vulgo ſperemus (qvod ille ait) *nihil agentibus in ſinum*

ſinum de cœlo devolaturam victoriam aut proſperam fortunam. Nolle ſapere, hoc ipſum eſt Deum offendere: ut velle, ejus eſt legibus obſeqvi: certumqve eſt divinæ indicium iræ caligo menti offuſa. Qvod non ſacris tantùm eſt literis traditum ſed & notum gentiliſmo fuit, dicente Ammiano Marcellino: *manum injicientibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Qvam in ſententiam & de fato loqvitur Vellejus Paterculus: *cujuscunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Verſus ſimilis argumenti qvos recitat Lycurgus ſua contra Leocratem oratione, utut perelegantes, referre hîc non attinet. Nec verò, etſi ſtulta etiam interdum emendet Deus, eſt qvur perpetuum ſtultitiæ præſidium qvis ſibi polliceatur: rara qvippe iſthæc ſunt nec trahenda in exemplum, certè non in ſpem ſecundorum eventuum. Orandum itaqve eſt ut in ſano corpore mens ſana ſit. Qvin imò, haud multùm abſurde ille apud Criſpum: *non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando agendo proſpere omnia cedunt.* Et certè placata numinis indignatione, qvam innumeris hactenus peccatis irritavimus, reſtituetur providendo ac laborando qvaſi poſtliminiò in integrum etiam res, (qvantum ſpero) Germanorum, redibitqve priſtinum gentis decus,

ita libertate Ordinum temperato Principatu, ut neq; in hoc libidinem neqve in illis licentiam habeamus metuere, sed sacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Absit enim ut vel in tenui hac Germaniæ fortunâ desperemus omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates. Etenim regnet modò in singulorum animis cura integri reipublicæ corporis, penitusqve omnibus sit persvasum: Ducatus, Comitatus, Episcopatus, Abbatias, Urbes, populosqve omnes Germanici Imperii id qvod sunt vere esse, h. e. partes non nisi uno vinculo unoqve spiritu salvas; & singulis licet invalidis, certe contra tam potentes undiqve vicinos minùs firmis, universos tamen atq; idem volentes idem nolentes, & suis defendendis & terrendis omnium hostium conatibus sufficere. Enimverò hoc animo atq; hac sententia obtinente, brevi efflorescent ipsi etiam cineres patriæ, stabitqve æternùm Germania, firmiùs longè qvàm Palladio suo Troja. Certe contraria opinio (qvasi nimirum totius Corporis non sit habenda ratio, sed singulis suam rem agere satis sit) Germaniæ evertendæ est nata, etsi olim damnosa minus fuerit qvàm sit nunc, præ vicinorum impotentia. Hæc vero sententia si omnium animis insideret, omnes etiam ad concordiam sese componerent mutuamqve

qvè amicitiam : qva res qvantumvis parvæ in sui formidinem solent crescere.

Odiis autem detumescentibus, remotaqve affectuum nebula, fortè & religionis negotium sese mitiùs haberet ; qvo tamen , (cujus certè obtentu) potissimùm nunc respublica in partes scinditur, aliturqve dissidium nostrum internecinum. Non enim est fortassis, qvur vel in tantis animorum fluctibus tranqvillitatem omnem desperemus ; si procul gratia procul odio partium judicia collocentur, nec superstitio fascinet oculos intellectus. Nam qvur superstitioni non adscribamus Vatinianum illum inter nonnullos ob religionem animum, vincentem prope furores Judaicorum zelotarum ? Qvemadmodum enim his religio fuit,

vel monstrare vias eadem nisi sacra colenti,

vel beneficium accipere nisi à suis : ita videas & hodie in parte pietatis à nonnullis poni odium hostile in dissentientes, errorum verò nullam gratiam nec veniam ullam. Atq; illos quidem non rationali pietate, aut justa Mosaicæ legis observantia istam inhumanitatem induisse, partim exemplo proprio nos docuit Salvator à Samaritide fæmina non recusans & petere aquam & accipere, partim & insigni parabola de Samaritani nonneminis beneficentia erga viatorem à latronibus prope enecatum. Sed &

nostram

noſtram inclementiam qvis auſit amplius in officio Chriſtiani cultus numerare? poſteaqvam & in inimicos extendendam benignitatem, & fide infirmum aſſumendum non ad altercationes diſputationum, ex lege Evangelica intellexerit. *Servum Domini non oportet pugnare*, ait Paulus, *ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti, ſi quando det eis Deus fortè reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* Aſt ſi tam mitem ſeſe gerere paſtorem decet, qvei gregis fuerit latrare ac mordere? qvei pietas fuerit qvod in epiſcopo eſt impium? Idem tamen Apoſtolus hæreticum poſt unam alteramqve admonitionem jubet vitandum. Ita eſt, ſed qvalem? ſane non alium qvàm eum qvem qvis noverit deploratæ ſalutis eſſe: inqvit enim, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. Nec tamen, vel ejus hominis omne fortaſſis vitandum conſortium fuerit, ſaltim non illùd qvod occaſionẽ qveatobiicere corrigendi. Longè ſane aliter & ipſe Apoſtolus tractavit & tractare nos juſſit eos, qvi ab hæreticis decepti ſpem adhuc relinqvunt emendationis. Corinthij futuram corporum reviviſcentiam negabant: Galatæ Moſis legem Fidei impio vinculo annectebant ut neceſſariam, in aliud plane εὐαγγέλιον traducti. Sed

cum

cum his agens Apostolus ipsa mansuetudo est. Monet, increpat, docet, ut fratres, ut sanctos Dei; nihil certe hîc videas durum aut inhumanum. Imo maximus magister ipse, eum qvi ecclesiam recusat audire non alio qvam publicani aut ethnici loco nobis vult esse; munera humanitatis non tollit, vel caritatis qvem limitibus excludit; ut qvi ipsemet cum publicanis & peccatoribus ederit biberitqve, infirmorum sanitati consulens. Qvin desinamus ergò tandem atrocium contentionum; ne utiq; odia nostra plusqvam Cadmea sancto injunctæ pietatis titulo venditemus. Zelus iste zelus amarus est, & carens scientiâ: illâ saltem, *quæ primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absq; disceptatione & minime simulata. Veritatem sectemur, sed adolescamus prorsus cum charitate.* Illa verò *iram cohibet, benigna est, non agit perperam, non inflatur, non agit indecore, non quærit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hac dulcorandus sane est zelus noster, *ne mendaces simus contra veritatem. Moderatio nostra innotescat omnibus.* Non eqvidem disputabo hîc, sitne partium aliqva hæreseos nomine infamanda, vel in qvamnam earum meritò hoc congruat pro-

brum; id certum arbitror, verum hæreticum non tam errore qvam errandi pertinaciâ cenſendum eſſe, & poſſe interdum lethales ſententias non peſſimis ingeniis innaſci, adeoqve cum hæretica opinione nonnunqvam catholicum animum conſiſtere; planè ut agere iniqvum qvid etiam minimè iniqvus poteſt. Qvid nos movet verò, qvur pejus de nobis invicem ſuſpicemur, qvàm de Arianis ſanctiſſimus Maſſilienſium olim presbyter Salvianus? *Hæretici ſunt*, dicebat ille, *ſed non ſcientes: deniq; apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt: nam in tantum ſe catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt & hoc nos illis.* Paulò pòſt ſubjungens: *Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio ſed affectu Dei; honorare ſe Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem; & qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſunt nemo poteſt ſcire niſi judex. Interim iccirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etſi non recte credere affectu tamen piæ opinionis errare.* Qvid eſt, dico, qvur alteri alteris pejus audiamus? qvur errorum deteſtatio duriorem de moribus noſtris ſententiam ſtatuit? Sit tamen ita. Sit alterutra pars Arianis longe deterior, neutra tamen, qvantum ſpero, ſuperat Manichæorum blas-

blasphemam impietatem. Manichæi verò erant, qvos vir ſanctitate atqve doctrina ad miraculum maximus Auguſtinus, in hæc eſt verba alloqvutus. *Illi ſæviant in vos qui neſciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficilè caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantasmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſint intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quibus gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunq, parte poſſit intelligi Deus. Poſtremò illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos, ſicut me ipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere; & tanta patientia vobiscum agere, quantâ mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem.* Magna ſcilicet vis eſt in utramqve partem opinionis inolitæ, quæque ceu cum materno lacte immulſa eſt, ſi accedat cumprimis ſectæ ſtudium, morbus, Galeno etiam meo judice, qvavis ſcabie inſanabilior, qvo qui tenentur, ſi eidem credimus, cœci atqve ſurdi reddi conſuevere. Origenis dictum eſt: εὐχερέστερον γε ἄνθρωπον τὰς περὶ ἄλλα σωφρείας, κἂν δυσαποσπάστως αὐτῶν ἔχῃ, καταλείψαι ἄν, ἢ τὰς περὶ τὰ δόγ-

μαθ. *Facilius quis alia sibi consueta exuat, quantumvis illis affixus sit, quam ea quæ dogmatum sunt.* Qvæ superbia itaque fuerit, & fragilis nostræ mortalitatis dedignatio, tam atrociter animadvertere in ingenii culpam, & humanitatis oblivisci in peccato humanæ imbecillitatis? Non ego pravæ pervicaciæ sum patronus, nec veniam peto vere hæretico homini, h. e. quem arrogantia aut nominis amor sectam facit condere aut fovere, quiq; factionibus turbat publicam Ecclesiæ tranquillitatem. Nihil enim tam asperum excogitari posse existimo quo non ille asperius mereatur. Ne sceleris quidem purum omnino dixerim, qui illi aures præbens in sectæ communionem prolabitur. Tantùm ita animadverti in deceptos optaverim, ne non tam interitum illorum curare quàm salutem videamur quæsivisse. Et in hos ergo animadvertatur sed sine sævitia: & hi increpentur sed cum lenitate: moneantur sed fraterne; denique ita tractentur ut & ipsi intelligant nihil in sese nos habere odio præter hæreticam sententiam, qua nihilominus causa maxime nos doleamus illorum vicem.

Sed quo prolabor? Ego vero nihil aliud volo, Illustrissime Princeps, quam periculis in quibus patria versatur præsentissimis, omnes omnino quotquot sumus serio admoneri, ut animi divulsi & fa-

cti-

ctionibus distracti omnibus modis reducantur ad concordiam & commune reipubl. studium: nihil verò esse, ne religionis quidem queis laboramus controversias, quur saltim à curis concordiæ & pacis civilis cogitationes nostras segregemus: quod enim hinc hostilia inter cives odia exerceantur, non tam pietatis lege fieri quàm inani quadam superstitione. Atque me quidem haud latet, quantum ab hac mansuetudine absint multorum mores; scio etiam id esse partium ingenium, ut altera indigne ferat vel metuat alterius benignitatem; qvia tamen & inimicis benefaciendum est, nihil dubito nolentibus & invitis & repugnantibus qvoq; modestiam, lenitatem, caritatemque, tam severe nobis mandatam, quasi obtrudendam esse. Certe hanc viam primæ & incorruptæ Ecclesiæ prudentiores ac meliores quiq; Patres contra segreges & errantes insistendam sibi censuerunt. Quale enim hominum genus erant Donatistæ? Arrogans, impium, hæreticum, in circumcellionibus suis etiam sævum ac crudele. Hi verò ipsi erant, quos cum *fratrum* titulo fuisset dignatus, in hæc nectare quovis dulciora verba prorupit vir sanctitate eximius Optatus Milevitanus. *Ne quis dicat me inconsiderate eos FRATRES appellare, qui tales sunt, quamvis & illi negent, & omnibus notum sit quod nos odio habeant,*

& nolint se dici fratres nostros. Nos tamen recedere à timore dei non possumus, quos hortatur Spiritus S. per Esaiam prophetam dicens: Vos qui timetis nomen Domini audite nomen Domini: si qui nos odio habent & execrantur, & nolunt se dici fratres nostros, vos tamen dicite iis, fratres nostri estis. Ætate huic suppat Gregorius Nazianzi antistes longe piissimus dicebat: εἰπωμὲν ἀδελφοὶ καὶ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς ἂν ἀεὶ δέχονται. Ante utrumqve scripserat B. Cyprianus, *optare se & consulere pariter ac suadere, ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus unum gremio suo mater gaudens includat:* à fraternitatis vinculo ne erroribus infectos qvidem excludens. Isthoc autem si fuerimus animo (possumus autem & debemus esse) non concutietur respubl. enatis de religione disputationibus nostris, certè non ita ut nunc dissipabitur: imo fiet, ut affectuum purus mentis oculus clare perspiciat caligantem nunc vitio nostro veritatis solem, utqve omnes id amplectentes qvod verè καθολικὸν est, h.e. qvod ubique qvod semper qvod ab omnibus est creditum, sopitis dissidiis *impacti simus eadem mente, & eadem sententia.* Veritatem cernere non potest oculus odii spisso glaucomate suffusus, utut illa clara sit & solem ipsum gestes manibus. Optimus demum magister lenis ora-

oratio est: irrepit qvippe in animum latenter suâ dùlcedine, intimas mox ejus fibras expurgatura. Hieronymi aurea sententia est: *Qui modeste alloquitur proximum gratum accipit responsum, & quasi de uberibus in quibus lac quærebat butyrum exprimit: sed qui inepto verbo rixam & discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens, sanguinem elicit.* Et verò, ne desit exemplum, tali plane orationis genere, Arianos, Apollinaristas, Macedonianos, Sabellianos atqve id genus alia hæreticotum portenta, viciisse sese & Ecclesiæ Catholicæ corpori rursum feliciissime sociasse, ipsemet testis est ille qvem à sanctitate paulo ante commendabamus, commendari autem numqvam satis poterit, Nazianzenus Gregorius. Qvidni verò audiamus ipsum loquentem, seu canentem potius, lenis sermonis ingentem istam victoriam? Igitur quum varia sectarum monstra enumerasset, addidisset qve neminem adeo fuisse immobilem quin à sese flexus sit; subjungit statim aurea illa à doctissimo abbate Jacobo Billio non minus eleganter de Græco versa:

Hos pertrahebat dogmatum ingens firmitas:
Flectebat illos ratio docendi *mea.*
Nec enim per odium, perq; contumeliam,
Studio at juvandi, verba promebam, dolens,

Non

Non vulnus infligens: nec, ut quidam solent,
Animos in altum, prosperum ob tempus, ferens,
(Commune sceptris nam quid est, Verbo & Dei?)
Audaciaque inscitiam velans meam.
Hoc quippe scitum est, sepiis ac proprium,
Nigrantem ab imo vomere succum pectore,
Ut tela fugias hostis in tenebris tui.
Sed voce blandâ commodâque utens, decet
Christi ut patronum, mente qui placidissimus
Miseratur ægros, neminem & durus ferit.
Ex quo fit illud, cedere ut laudem ferat,
Rursumque multò pulchrius sit vincere,
SUASU Tonanti quisquiam dum acquiritur.

Quid vero, si & nostro tempore isthuc succederet? Quid, si & in nobis dulcis sermo istum fructum pariat? Ne videlicet amplius & in nobis sit Roboam & Jeroboam, Juda & Israel, Hierosolyma & Samaria; sed intergerino pariete confracto, qvi unius sanguinis uniusque sumus reipubl. etiam unius simus Christi, coalescentibus vulneribus quæ ejus corpori dissidia nostra inflixerunt, & reparatâ ejus tunicâ qvam militaris furor olim scindere erubuit quidem, nos autem innumeras in partes divisimus. Faxit sane id ille qui & ipsemet caritas ac pax nuncupari voluit, caritatem item ac pacem symbolum suorum jussit esse!

Sed

Sed non est hujus loci de remediis dissidentis Ecclesiæ ejusque pace differere; etsi illa nihil publicè privatimque possit esse conducibilius atque ad rempubl. erigendam magis necessarium: quippe qvum anima quasi reipublicæ sit Ecclesia, adeoque non minùs verè dici possit, rempubl. in Ecclesia esse qvam vere id olim alio sensu negavit Optatus Milevitanus. Quod si verò tam felix fortuna hoc infesto virtuti & paci seculo non sit speranda terrarum orbi, aut nostræ Germaniæ peccata non ferant statum adeo beatum; utinam saltim fiat prius, ut si non amemus nos prout par erat, saltim minus nos invicem habeamus odio! Certe & sic erimus felices satis, atque etsi non optime & ex voto, tamen sic satis bene componi iterum tot modis nunc divulsa respublica poterit; nemo profecto non deinceps execrabitur civilium bellorum faces etiam anteqvam ardeant.

Verum frustra etiam de ordinanda republica quidquam salutare speres, quamdiu bello ad hunc modum ardet Germania, simulq; domi ac foris hostis ex hoste nascitur. Qvid enim inter meram vim & scelera, quæ dudum leges omnes suam in potestatem traduxerunt, & jam fundamenta reipublicæ subruunt, cogitem9 legum robur atque auctoritatem? Scilicet inter arma etiam aliàs justitia prò-

labitur, neq; nuper primùm militia noſtra cœpit corrumpi; inter civilia autem arma, qualia hactenus magnam partem fuere noſtra, etiam moritur jus, militarem item *diſciplinam* (ut ille ait) *in pace inexorabilem diſcordiæ civium reſolvunt, paratis utrinq; corruptoribus & perfidiâ impunita.* Eò autem usqve illa redacta eſt, ut qvæ flagrante ulterius bello ſuperſit ſpes emendandi vix appareat, in omne fas ac nefas venalibus urbium noſtrarum purgamentis. Igitur nihil etiam eſt qvur vel dicamus de illo meliore ſtatu qvidquam, niſi pace ante facta caveatur ut ne ille nullus ſit; penitusqve ſit perſvaſum animis illud Homeri:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἑκεῖνος.
Ὅς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Abſq; cognatis, injuſtus, & ſine domo vagus ille eſt,
Qui delectatur bello civili difficili.

Tunc verò demum ſuus cum fructu legibus & optimis conſiliis erit locus: tunc ordinari rectiùs reſpublica poterit; deniqve tunc & vulnera qvibus hactenus laboravimus poterunt ſanari, & ferale illud Eccleſiæ bellum, qvo inprimis Dei indignationem provocamus, ſopiri forte poterit fraternâ caritate. Cæterum iſthæc ut effici aut poſſint aut debeant, & arrogans ſim ſi me ſcire profitear, & ſi dice-

dicerem non ſim ferendus. Neqve verò opus etiam eſt ut præter ea qvæ priſcis ſeculis in hujuſcemodi malis ſunt adhibita, novum aliqvod nunc excogitemus. Eadem qvippe ſemper fabula agitur humanarum rerum, tantum mutantur perſonæ: qvæq; nunc nos, civitates ſemper multas afflixerunt, qvarum aliæ ad optima conſilia, aliæ ad interitum iis ſunt redactæ. Spero autem nobis uſu eventurum, id qvod arboribus qvi cuneis divelluntur. Scilicet ut illæ excuſſis cuneis magno impetu unoq; momento ad ſeſe redeunt, ita ad concordiam atq; unitatem redituros nos omnes, ubi rejecti fuerint qvi nos ad libidinem ſuam diſtrahunt.

INDEX EORUM QUÆ CONTINENTUR LIBRO DE PACE PERPETUA.

PRoœmium *pag. 7.*
Sectio I. Hypotheſes *pag. 9.*
Sectio II. Concluſiones *pag. 25.*
Sectio III. Reſponſio ad rationes pro adverſa ſententia adductas, *pag. 41.*
Ad Rationem I. *pag. 41.*
Ad Rationem II. *pag. 45.*
Ad Rationem III. *pag. 47.*
Ad Rationem IV. *pag. 50.*
Ad Rationem V. *pag. 54.*
Ad Rationem VI. *pag. 55.*
Ad Rationem VII. *pag. 50.*
Ad Rationem VIII. *pag. 61.*

INDEX CAPITUM ANIMADVERSIONIS IN BULLAM INNOCENTII PAPÆ.

CAPUT I. Argumentum eorum qvæ proponuntur hoc Libello. Simul docetur: Jus eſſe homini, qvamvis Catholico Romanenſi, ſalva Fide ſua, Bullas interdum non obſervare, imo rejicere ut vitioſas *pag. 159.*

CA-

CAPUT II. Declarationem Innocentii non fuisse necessariam, esse autem planè insolentem & carere omni exemplo. pag. 179.
CAPUT III. Declarationem Innocentii non esse ipsi Curiæ Romanæ utilem, sive in præsens sive in futurum. pag. 196.
CAPUT IV. Declarationem Innocentianam ipsimet Romanæ Curiæ, & Catholicis in Germania partibus, esse noxiam. pag. 203.
CAPUT V. Declarationem Innocentii esse in universum suis verborum formulis perinigvam Cæsari Regiq; Galliæ; cumprimis veroReginæSvecorum, Reipublicæ Venetæ, atq; Imperii Principibus ac Ordinibus, Catholicis non minus qvàm Evangelicis, summè injuriosam. pag. 220.
CAPUT VI. Ostenditur porro iniqvitas Declarationis Pontificiæ etiam ex eo, qvod pridem fuisset jam extinctum jus Papale omne in illa, qvæ Pacis utroq; pacto Evangelicis concessa sunt. pag. 246.
CAPUT VII. Etsi tempore constitutæ Pacis superfuisset Papæ aliqvod jus, tamen Reipublicæ Germanicæ fuisse integrum ita con-

ſtituere prout factum eſt. *pag. 261.*
CAPUT IIX. Tribus excitatis dubiis; de ſummo dominio omnium bonorum ſacrorum ſingulari Jure Papæ competente : de injuſta ſacrorum bonorum in uſus profanos translatione: & de eorumdem bonorum perpetua alienatione;diſtinctè ſatisfit. *pag. 277.*
CAPUT IX. Innocentium falsò arrogare Papis, jus Cum conferendarum Precum primariarum, Tum omnes de bonis Eccleſiaſticis contractus confirmandi *pag. 307.*
CAPUT X. Iniqviſſime Innocentium aſſererе, qvod Septemviratus Electoralis à Sede Romana ſit inſtitutus, nec ab Imperio numerus Electorum jam poſſit augeri *pag. 320.*
CAPUT XI. Qvis fructus ex Libri hujus lectione poſſit comparari: ad illumq; comparandum ſeria invitatio. Qvod item omnes Romanæ Communionis & ſalva conſcientia poſſint, & jure debeant, Bullam Innocentianam non obſervare,breviter demonſtratur. *pag. 353.*

EMEN-

EMENDANDA & ADDENDA

PAg. 191 27. alit. *nempe Relectione de Potestate Papæ & Concilii prop. 12 pag. 178 edit. Ingolstadiensis.*

Pag. 37 l. 10.	*Propositi. 17 & seqq.*
pag. 160 l. 14.	*num sint*
pag. 161 l. 25.	1558
pag. 163 l. 19.	*diserte*
pag. 164 l. 22.	*adscribit*
pag. 165 l. 20.	*mandum*
pag. 173 l. 6.	*ulla est*
pag. 177 l. 23.	*German. acta*
pag. 178 l. 10.	*iis quas Rom*
pag. 186 l. 5.	*Si nec ille*
pag. 187 l. 11.	*in illo conventu*
pag. 201 l. 18.	*posse Evangelicis nonnullis*
pag. 259 l. 26.	*necessitas*
pag. 281 l. 8.	*eoq; tantum modo*
pag. 284 l. 2.	*ut qui* l. 11. *hujus loci*
pag. 293 l. 24.	*Ducat. Wirtenbergici*
pag. 311 l. 8.	*diploma*
pag. 312 l. 1.	*præbendam*

A pagina 372 usq; ad finem libri typographus aberravit in designandis numeris paginarum. Itaq; benevolus lector non gravabitur ad normam præcedentis numeri omnia emendare.

Pagina quæ signata est num. 859 l. 5. scribendum: *quo Treviri, Ubii, Tungri, Leuci* l. 7. *aliaq;* l. 12. *mul Sequani Sebusiani.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Eubulus
De
Pace perpe
tua Protestan
tibus data
G III
2-1

Th
2172